Roberti Grovii S.T.D.

DEFENSIO
SUÆ
RESPONSIONIS
AD
Nuperum Libellum,
Qui inſcribitur
CELEUSMA, &c.
ADVERSUS
REFUTATIONEM
Ab Authore Celeuſmatis editam.

Adjecta ſunt

PARALLELA IMPARIA,
SIVE
Specimen Fidei Celeuſmaticæ.

LONDINI,
Typis *J. M.* Impenſis *G. Kettilby* ad Inſigne Capitis Epiſcopi in Cœmeterio Divi Pauli. 1682.

A. 3. 18.

Roberti Grovii S.T.D.

DEFENSIO

SUÆ

RESPONSIONIS

AD

Nuperum Libellum,

Qui inscribitur

CELEUSMA, &c.

ADVERSUS

REFUTATIONEM

Ab Authore Celeusmatis editam.

Adjecta

PARALLELA IMPARIA,

SIVE

Specimen Fidei Celeusmaticæ.

LONDINI,

Typis J. M. Impensis C. Kettilby ad Insigne Capitis Episcopi in Cœmeterio Divi Pauli. 1682.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

DEFENSIO RESPONSIONIS AD Nuperum Libellum Qui inſcribitur CELEUSMA, &c.

INvitus equidem feci, cùm adversùs *Gulielmum Jenchinum* ſcriberem; etenim hominis arrogantiam & inanem loquacitatem ex multis ipſius dictis, factísq; ſatìs perſpexeram. Verùm poſtquam ille *Concionem* quandam emiſerat in qua viros Conformes graviſſimè incuſabat; ego contrà, eos, ut poteram, defendi, Anglicé autem ſcripſeram; tum ille poſt annos fermè quatuor, in me aliúmq; qui ipſum etiam irritaverat, libéllum Latinum evulgavit, quem rectè *Celeuſma*, ſeu *Clamorem* dixerat, huic ego pro captu quidem meo, reſpondi; ille *Reſponſioni* meæ quandam, quam vocat, *Refutationem* oppoſuit: In ea autem tantum in arte ſuâ profecit, ut cùm olim

alios omnes ſuperaverit, nunc ſeipſum maledicendo & ineptiendo ſuperâſſe videatur. Multa enim de me pro arbitrio propè ſuo conficta habet, rem vero ipſam, de qua agendum erat, vix leviter attingit. Hæc igitur facilè contempſerim, niſi ſcirem hujus Viri ſimiles gloriari etiam ſolere, ſéque invictos paſſim clamitare, ſi quis vel nugaciſſimis ipſorum ſcriptis reſpondere neglexerit. Nè itaq; gravius fortè detrimentum Eccleſiæ Anglicanæ, apud imperitos rerum æſtimatores, ſilendo quàm ſcribendo afferam; hanc ipſam *Refutationem*, quamvis fuerit ſanè leviſſima, paucis tamen excutiam.

Primùm igitur quæ de me dixerit, *Jenchinus*, tum reliqua quæ erunt, deinceps perſequar. Cùm enim Vir perſpicax eam, quam ſuſceperat, cauſam ægrè à ſe defendi ſentiret, experiri voluit ut ei ſuccederent convitia & contumeliæ, in quibus ille plurimum ſemper fiduciæ collocare ſolet; me itaq; probris omnibus, maledictísque laceravit. Atque, ut conſtaret quàm eſſet in aliorum criminibus perveſtigandis ſolers & induſtrius, nullum vitæ meæ tempus intactum reliquit. Quid *Wottoniæ* Puer, quid *Cantabrigiæ* Juvenis, quid Vir demum factus hîc *Londini* egerim, accuratiſſimè novit. Si quid uſpiam acciderit, unde mihi dedecus & infamiam conflari poſſe ſperat, de eo ex notis mihi ignotísque diligenter exquirit. Nullum ſeduli hominis officium prætermittit, ut quoquo modo aliquam nomini meo maculam

maculam inurat. Niſi ergo hujus viri calumniis obrui malim, mihi quidem pro me nonnihil dicere neceſſe eſt. Atque hîc ego non illum, qui nihil rectè diſtribuit, ſed ipſius temporis ductum ſequar.

Principiò itaq; de * *facinore*, quod vocat, *Wintonienſi* diſpiciendum erit. Quam ille *flebilem*, uti ait, *hiſtoriam* orſurus, diverbium quoddam, ex trivio putidiſſimum, eleganter & feſtivè præmittit, *Experto crede Roberto*; ut cùm hominum animi rei atrocitate percellendi eſſent, homo amœniſſimus bajulorum & balatronum riſus captare videatur. Verùm ille hoc, quicquid fuerit, ſuo more narrare pergat. † *Quid ſit*, inquit, *mortuorum inquietari manibus, Jenchinum ex communi tantùm fama, te vero propria tua experientia compertum habere meritò exiſtimamus.* Ego certe *Jenchine* de *Lovii manibus* tibi infeſtis nihil unquam audiveram, neque ſcio an quicquam ea de re vulgi ſermonibus jactatum fuerit. Sed cùm tu, ſi quando illius Viri mentio incideret, vehementiùs ſemper commoveri viderere, neque ſatìs mente conſiſteres, & tamen tibi temperare non poſſes, quin de eo ſæpius loquereris, cùm neceſſe non eſſet: * *Semper*, inquiebam, *aut oculis, aut animo tuo oberrat hujus Viri imago, ſuſpicio eſt te illius manibus inquietari*, &c. Illud utique volebam te ſic agere, quaſi *Lovii* memoria turbarum tibi aliquid, & moleſtiæ daret: Méque abs re haud multùm aberrâſſe arbitror. Tu autem iſta ſic

* Refutat. Sect. 3. p. 6.

† Ibid.

* Reſponſ. pag. 22.

accipis, quasi fabellas quasdam de te confictas, in populum sparsissem. Video sanè, neq; ignorabam antea quàm fueris candidus Interpres, præsertim ubi mea tibi explicanda sumpseris. Mittamus verò ista. At cur vos me *Quid sit mortuorum inquietari manibus, propriâ meâ experientiâ, compertum habere meritò existimatis?* * *Eo*, inquis, *magis id suspicamur.* Tecum tibi non convenit. Primùm, *existimas*, idque *meritò*; nunc *suspicaris* modò, idque forsan immeritò; quid denique facturus sis, hariolari non possum; tandem tibi puto, nè minima quidem *suspicionis* umbra supererit. *Manes* isti tenuissimi & exangues ad primum lucis accessum toti statim in auras abibunt. Sed dic obsecro te, si quid habueris amplius, cur istud vel *suspiceris*: † *Quoniam*, inquis, *te haud latere arbitror quid infortunii, quodam Novembris quinto, adolescenti Edmonds, Condiscipulo tuo in Schola Wintonienſi, scalpellum tuum attulerit.* Agnosco *Condiscipuli* nomen; de die non memini. Sed O incredibilem tuam diligentiam, *Jenchine!* qui cum in Concionibus floreres maximè, rebúsque, quæ tum gerebantur, te immiscerès, omniúmque in te ora converteres, atque ista, ni fallor, præclara *Commentaria* parturires; non tantùm quid in Ecclesia, quid in Rep. Viri, sed quid etiam in *scholis* pueri fecerint, compertissimum haberes: Adeò ut post annos ampliùs quàm triginta commemorare possis quo die lapsi fuerint; Miror cur tam diligens Scriptor horam omiserit. Sed hæc tu forsan de me nuper admodum

* Refut. ib.

† Ibid.

dum audîsti. Cùm enim ut aliquod in me convitium conjiceres, rumusculos omnes parùm secundos summo studio venatus esses, incidisti aliquando in nescio quos Condiscipulos olim meos qui ista tibi narrârunt. Tu tam insperatæ rei novitate lætus abscedis, eámque in *Refutationem* tuam sedulò inseris; atque nè omnia commentus esse videaris, hoc quidem ad marginem adscribi curas: * *Hujus facinoris testimonium perhibent viri duo docti & fideles*. Quàm *docti* fuerint, non quæro; quàm *fideles*, certe conjicio. Illud enim primùm edico tibi, *Jenchine*, *Doctos* istos & *Fideles* huic *Infortunio* non affuisse cùm fieret, eáque quæ ætatem propè integram memoriâ tenuerunt, pleraque ex puerorum tantùm sermunculis accepisse; eos ad me si adduxeris, faciam profectò ut hoc ipsum negare non audeant; nisi fortè, tuam illi verecundiam animíque candorem æmulari quàm verum fateri maluerint. Quid tibi retulerint haud satìs scio; etenim nihil apertè, & rotundè eloqueris; omnia subdolè & versutè perplexis verborum ambagibus involvis. Nè quid itaque de me temerè suspicentur homines nimiùm creduli, necesse est ut hæc ipsa paulò explicatiùs dicam. Atque dabunt mihi, spero, veniam Lectores, si in hoc pueritiæ meæ facto aliquantisper hæream. Cùm enim me gravissimi criminis insimulare videatur *Jenchinus*, ego quasi ad causam dicendam, hujus hominis maledicentiâ coactus, accedo. Rem igitur ipsam sic habeto.

* Ibid. in margin.

Cùm

Cùm olim *Wintoniam* puer admodum missus essem, ut humaniorum literarum rudimenta perciperem; eramus unà in cubiculo Condiscipuli complures, atque, ut illic mos erat, lectulorum fulcris aut adstantes, aut assidentes, rei literariæ operam dabamus; nè quid nobis temporis per otium efflueret. Mihi propè ad latus adstabat *Edmondsius* ille, quem tu, *Jenkine*, nominâsti. Ego calamum refingebam, nescio quid scripturus; atque adeò *scalpellum* manu tenebam. Erat præterea alius quidam ex adversâ fulcri parte, qui ad nos conversus, lectum eundem cubito premebat. Is mihi per lasciviam, chartulas eripit, atque indignanti alapam pueriliter impingit. *Edmondsius* irridet etiam, atque ægrum jam animum magìs irritat. Hîc ego subito quodam furore exæstuans, unicum ei ictum inflixi; quod quidem mihi luctuosissimum accidisse fateor. At quicquid *Infortunii scalpellum* istud, atque hæc manus temeraria *Condiscipulo* meo attulerit, non erat cur tu propterea, infelici puero atque misero potiùs quàm malo nunc demùm tam inhumaniter insultares. Decimum ac tertium ætatis annum tum ferè compleveram, decimum quartum certè vixdum attigeram; Irâ totus ardebam, non eram apud me; non quærebam longè cultellum, mihi strictus erat in manu; Condiscipulum meum fugientem non sum insecutus, adstabat propè, latus meum contingebat; non repetii ictum, simulatque resciveram, facto vehementer in-

indolui, meámque temeritatem & amentiam ſtatim atque ex animo damnavi. Speraveram quoque vitâ nullo, ſaltem notabili, vitio tot annis maculatâ, unius *Infortunii* memoriam deleri potuiſſe. Sed tu homo durus & inexorabilis, neque ætati tam teneræ, neque reſipiſcenti, veniámque ſuppliciter petenti ignoſcis. Sed adhuc etiam gravius inſtas: * *Cætera*, inquis, *improbe nôſti probé.* Ego me *Improbum* dici, præſertim ab homine tam probo, & manſueto haud ægrè fero. Sit ità ut vis; tecum hâc de re non litigo. Sed quænam ſint iſta *Cætera*, ô Bone, neque me, neque te, neque *duos iſtos doctos & fideles* intelligere arbitror. Sed perge porró: † *Nam audacter licèt, deblaterare non vereris, te nolle ut tui gratiâ quicquam reticeam.* Neque nunc volo; eloquaris clarè, ſi quid habeas. Negas te facturum: * *Tamen non eſt animus ulcus pænè obductum refricare.* Tu verò frica, *refricáque* quantum potes, *Jenchine*; quoniam id tibi voluptè futurum puto; qui maximo maledicendi pruritu jamdiu multúmque laborâſti. Sed quare non *refricabis*, O leniſſime? In promptu cauſa eſt: † *Ne te*, inquis, *male urat.* Hem! quaſi tam frigidè dicta quemquam urerent! ‖ *Neve inde ſanies exeat.* Nemo ſic eum loqui miretur; redit ad delicias ſuas homo jucundus, ac ſuavis; nam quæ aliis ſtomachum, illi ſalivam movere ſolent. * *Nec hanc hiſtoriam flebilem ulterius perſequar, niſi deinceps à te laceſſitus, & ad labem tuam detegendam irritatus.* *Hiſtoriam* tu & quidem *flebilem* miſerè

* Ibid.

† Ibid.

* Ibid.

† Ibid.

‖ Ibid.

* Ibid.

ſcribis,

ſcribis, *Jenchine*, & *Hiſtoricus* tamen factus es neque minùs, puto, *doctus* & *fidelis* quàm *duo* iſti qui rem tibi primùm narraverunt. Nihil enim de me refers, ſimulas tantùm poſſe te infanda quædam prodere, niſi metueres nè illud mihi nimis moleſtum foret. Mihi verò moleſtum non erit; imò ego *irrito*, ego te *laceſſo*, *Jenchine*; ede ſi quid amplius noveris. Nunc enim, quæ tua eſt fides, omnia hîc apud te adeò ſunt ambigua, ut quicunque iſta legerint, eos ſuſpicari neceſſe ſit, me *Edmondſum* illum aut unico *ſcalpelli* ictu, aut multis conciſum vulneribus miſerandum in modum occidiſſe. Nè itaque hanc vel pueritiæ meæ notam à te inuri patiar, ego cætera, quod tu nunquam facturus es, bonâ fide, referam.

Brevi tempore ſanatum eſt illud, de quo dixi, vulnuſculum; *Edmondſius* bellè habuit; veniebat in ſcholam frequens; quoties fas erat, luſitabat etiam cum pueris; rus abiit; rediit *Wintoniam*; nihil de me conqueſtus eſt; illum ſanè propter *infortunium* iſtud quod dederam, diligebam magìs, & ab illo viciſſim diligebar; viximus unà familiariter; erat nonnulla, ut inter pueros, neceſſitudo. Poſt Menſes vero decem, aut fortè plures, ille febriculâ tentari cœpit; cúmque initio leviùs ægrotare videretur, in eadem quâ priùs camera decumbebat. Nocte quadam cùm aliquid ei opus eſſet, de omnibus Condiſcipulis qui iſtîc dormiebant, me potiſſimùm vocat; ego ad vocem notiſſimam ſubitò experrectus, rogo, numquid

numquid velit? ut potulenti, inquit, aliquid ſitienti porrigas; quod quidem de lectulo ſurgens libentiſſimè feci. Poſtero die delatus eſt in aniculæ cujuſdam ædes; ibi morbo ingraveſcente, delirio correptus eſt: Cúmque multa, utì fit, minimè cohærentia ſecum loqueretur, me fortè ſubinde nominabat; itáque accerſor, accurro; qui aderant, aiunt adveniſſe *Grovium*; ille præſentem non agnoſcebat. Ego etiam altiùs inclamo adeſſe me; ille, ut morientes ſolent, lodiculam manibus digitíſque implicabat, oculóſque vagos hûc & illûc incertis motibus jactitabat. Cùm autem ſæpiùs inſtarem, ut ediceret ſiquid vellet; tandem ut vix intelligi poſſit, potum, inquit, porrigas: occurrebat utique animo, quod ei gratiſſimum paucis antè diebus feceram; tum eum vox, ſpiritúſque defecit, brevíque poſt extinctus eſt. Ego ad condiſcipulos redeo; occurunt venienti, rogitant quid mihi *Edmondſius*? eadem iis refero quæ modò; illi nihil amplius ſolliciti diſcedunt. Poſtquàm enim audierant *Edmonſium* jam morti vicinum, mecum colloqui voluiſſe, neſcio quid inter ſe puerorum more muſſitaverant; ubi verò rem ipſam iis nuntiaveram, fidem habent, levémq; quam temerè conceperant ſuſpiciunculam, haud gravatè deponunt. Aliquot pòſt annos eâ in ſcholâ fui; affines hujus & cognati complures mihi noti erant; neque eorum, neque aliorum quiſquam mihi propter hanc rem verbulo unquam uno gravis fuit. Tu autem jam grandævus, ut

tamen pueris omnibus puerilior viderere, illud mihi nunc post tot lustra exprobras, quòd nullus tum puerulus quantumvis iratus, objicere sustinuit. Hoc etiam apud *Nonconformistas* tuos jactatum fuisse, ex eorum uno mihi non ignoto, forte fortunâ comperi, paucis antè septimanis quàm hæc tua *Refutatio* prodiret in lucem; soletis enim de nostrorum vitiis & erroribus libenter, & prolixè narrare, sed an vera fuerint, quæ refertis, necne, parùm curatis. Utinam vos hujus moris aliquando tæderet; ista enim ad rem nihil faciunt. Nemo sanus unquam sic disputaverit: *Grovius* erat puer nequam, ergo *Jenchinus* est Vir bonus: *Grovius* habuit *Scalpellum peracutum*, ergo *Jenchinus* est scriptor optimus, & *Responsionem* ejus doctissimè *refutavit*. Vides, puto, hæc indè non consequi; & tamen eandem mihi cantilenam sæpiùs occinis: Ubi me propè furentem, & tibi non absimilem finxeras, tum sic mecum agis:

* Refutat. Sect. 9. p. 28. * *Nè sævi magne Sacerdos; furores tuos compescas obsecro. Cultellum tuum nè arripias, siquidem in Schola* Wintonienſi *jam non versaris; itaque iracundiam tuam pauliſper comprime.* Atque iterum *Refutationem* hanc egregiam sic tibi claudere placuit; ut aculeum quendam in Lectorum animis relinqueres.

† Sect. Ib. p. 30. † *Te denique cum utili hâc monitione tandem dimitto. Scripta tua in posterum nè pergas exarare, per Calamum hunc obtusum quando tibi adesse in propinquo novimus, Scalpellum peracutum.* Ut magìs notarentur postrema hæc, alio literarum genere excudenda curâsti.

Sic

Sic me crudeliter feris, & quaſi animam in vulnere poſuiſſes, plura non locutus, labori tuo finem imponis. Atque hoc ſanè de *Scalpello* tam diligenter inculcas, ut nonnulli exiſtiment, te non aliam ob cauſam ſcriptum hoc leve & minutulum emiſiſſe, quàm ut *facinus* iſtud, quod vocas, toto orbe deprædicares. At falluntur, inquies, quicunque fuerint qui ſic opinantur: Tu enim quædam de *Lovio* mihi auditu parùm jucunda retuleras; ego igitur illud de te commemoravi, ut par pari referrem. Sed inter iſtud meum tuúmque hoc factum quis non plurimum intereſſe intelligit? Tu primùm ipſe de * *Lovio* mentionem feceras, déque tua in eum *fide* gloriatus es, & ſiqui aliquid contra afferre auſi fuerint, te *vel pedes Calumniæ deoſculari velle* dixiſti. Sic enim aiebas, Vir ſingulariter diſertus, qui tuam ex te eloquentiam extudiſti; qui neque loqueris cum vulgo, neque ſentis cum ſapientibus. Non niſi tuis igitur clamoribus laceſſitus, iſtud quidem de *Lovio*, ſed tamen paucis attigi; de aliis, cum potuerim, non quæſivi: tu etiam pueritiæ meæ lapſus, qui ad rem ipſam nihil attinerent, diligentiſſimè perſcrutatus es. *Infortunium* illud *Wintonienſe* intra privatæ Scholæ parietes accidit; neque de eo quiſquam mortalium audiſſet unquam, niſi tu rem diù obſcuriſſimam, nunc demùm in apricum protuliſſes. At hoc quicquid erat in *Lovii* negotio, à te in publico, atque orbe terrarum inſpectante, geſtum eſt; & ut ego ſiluiſſem maximè,

* Concion. in Sæman. p 39.

imè, notum erat omni populo, multùs de te ſermo percrebuit: Imò erit profectò illud aliquando tempus, cùm ſcripta tua omnia, Latina imprimìs, fient blattarum & tinearum epulæ; at tum factum hoc legetur in Annalibus, vivétque per omnem ſeculorum memoriam, déque tua in *Lovium* ſive *fide*, ſive perfidiâ, nulla unquam poſteritas tacebit. Multum prætereà refert quâ quis ætate, quo animo, quibus conſiliis aliquid fecerit; multum etiam an quem facti pœnituerit, an obſtinatè defenderit: In his autem vide quantum diſcrepemus. Ego Puer, & quidem haud admodùm grandis, tu tum Vir fueras, & propè, opinor, quadragenarius: Ego irâ & impatientiâ victus, temerè atque inconſultò peccavi; tu poſtquàm multùm deliberaveras, meditatus, † *Deúmque*, ut aiebas, *ardentiſſimè precatus*, flagitium illud turpiſſimum admiſiſti: Temeritas me mea leniorem, tua te timiditas ferociorem fecit: Ego brevem inſaniam millies execratus ſum; tu amicum deſeruiſti in malis, factúmque aut negas, aut defendis; tu cauſam ſi non optimam, at optimæ certè proximam apertiſſimè prodidiſti, & de tanto ſcelere adhuc etiam gloriari non erubeſcis. Atque hæc longiſſimè inter ſe diſtare nè tu quidem, ut puto, negaveris. Miſeret me tui, *Gulielme Jenchine*, qui cùm vitam meam à prima ferè pueritiâ ſcrupulosè relegeres, non aliud in me crimen *Wintonienſi* iſto gravius reperire potuiſti. Cur non tu rem omnem altiùs ab ipſis etiam incunabulis

* Vid. Jen. Libell. ſuppl.

cunabulis repetebas ? Cur non dicebas me infantulum crudelem prorsu;, & sanguinarium fuisse ; nutriculæ sinum infestis unguibus appetisse ; papillarum summitates primis denticulis acriter morsitâsse ? Magnæ res ! dignæque sanè in quibus ista sese facundia exerceat. Cur non fingebas me, postquàm adultior factus essem, vitam latrociniis & cædibus sustentâsse ? Hæc portenta frontem tuam, atque os istud mirificè decerent. Abi nunc ad *Viros* tuos *doctos & fideles*, roga ut aliud quiddam tibi apportent de Scholis ; si nihil afferunt ; obsecra eos ut novi aliquid tui gratiâ comminiscantur. Sed cave nè ut hæc *flebilis historia*, ità illa etiam majorem tibi, quàm mihi infamiam comparaverint. Ego certè eo casu sic sum affectus, ut maximas semper Deo immortali gratias egerim, quòd cùm facilè potuerit, nihil tamen funestum acciderit. Mecúmque sæpè reputans quid periculi effugerim, cùm fuerim naturâ fortassis paulò iracundior, omnes animi motus, subitósque irarum insultus eo diligentiùs cohibere contendo ; factúsque sum, utì spero, aliquanto sedatior quàm olim ; atque hinc tua, *Jenchine*, convitia, & injurias æquo animo facilè patior.

Expectas forsan ut nunc tibi vices rependam, tuúmque aliquod facinus commemorem ; sed abhorret illud à meis moribus, *Jenchine* ; quamvìs exemplo tuo provocatus, de te tamen nihil sollicitè inquiro ; si quis se quicquam narrare velle dixerit,

dixerit, haud libenter audio; ſi quid allatum fuerit, non temerè credo. Nullum tuum factum vel leviter excutio, niſi quid in ſcriptis tuis occurrat, & cujus ipſe priùs mentionem feceras; ut eſt iſtud de *Lovio*, quo te vehementiſſimè ſemper commoveri video. In quibus itaque mihi præiveras, te interdum ſequor; reliqua autem, quæcunque fuerint, non attingo. Multo enim honeſtius & liberalius eſſe duco, Adverſarium rationibus & lenitate, quàm maledictis & contumeliis ſuperare. Unum verò eſt de quo te præcipuè monitum velim. Cùm dominaretur hîc *Cromwellius*, túque ad ipſius Senatum Concionem haberes, nonnulla de rarâ temporum felicitate prælocutus, graviora tibi excidiſſe aiunt, ſed iſta ſanè dixeras, quæ etiam Typis excuſa ſunt, quæque mihi animum planè belluinum, immitem, ferum, crudelem arguere videntur. Ea ſi potero, ad verbum referam: Sic itaque tu: *Benedictus ideò ſit Deus, ille Deus qui liberavit nos à Prælaticarum innovationum impoſitione, Altari-genu-flexionibus, & incurvationibus, cum cruci-ſignationibus, & Papiſticis iſtis recrementis & quiſquiliis. Et certè (nihilo plus loquor, quàm quod ſæpè cogitavi, & dixi) horum intolerabilium onerum amotione, penſatur iſte ſanguis, & theſaurus iſte qui in nuperis hiſce turbis fuſus, & expenſus eſt.* O vocem non Præcone Evangelico, ſed quovis

Praiſed be God for this, even that God who hath delivered us from the impoſition of Prelatical Innovations, Altar-genu-flexions and Cringings, with Croſſings, and that Popiſh Traſh, and Trumpery. And truly (I ſpeak no more than what I have often thought and ſaid) The removal of thoſe inſupportable Burthens, countervails for the Blood and Treaſure ſhed and ſpent in theſe late diſtractions. *Jenchin. Conci. ad Senat. Sept.* 24. 1656. *pag.* 33.

vis *Dionyſio*, aut *Nerone*, dignam! Eccleſiæ Anglicanæ nimìs infenſus es, *Jenchinæ*; nullæ erant apud nos *Papiſticæ* fæces, *& recrementa*. Ut fuerint ſanè quædam, quæ tibi non placuerint; at tanti non erat iſta tot funeribus, & tam deplorandâ mortalium ſtrage *amoveri*. Non horrore totus contremiſcebas cùm illa tam tetra, tam immania loquereris? Non te movebant tot urbes captæ, & direptæ; tot agri vaſtati; tot domus deſolatæ; tot miſerabiles fœminæ viris natíſque orbatæ; tot cadaverum ſtrues in altum congeſtæ; tot amnes humano cruore purpurati? Stupebat orbis, ingemiſcebat omnis Europa; Anglia tot malis oppreſſa, & propè jam confecta languebat, ultimúmque penè ſpiritum ducebat; & túne adeò inhumanus eras, *Jenchine*, ut non modò patriæ tuæ ruinis non illacrymares, verùm etiam occiſis fratribus inſultares, & quoſdam quaſi triumphos ageres; ut de bello tam nefario, & cruento ſiccis oculis *cogitares frequenter*, & *Sermones* haberes, quaſi tantæ calamitatis recordatione delectari videreris? *Penſatur*, inquis, *iſte ſanguis*: imò, ais nolle te * *amicos tuos eâ conditione redivivos fieri, ut fugum illud Anti-chriſtianum ſecum reportarent.* Qui *amicis* adeò durus es, inimicis tuis quid optares? Propter maximum Rituum quorundam & Ceremoniarum odium, omnem prorſus humanitatem exuiſti. Multa mortalium millia eo in bello cecidiſſe, Regémque pientiſſimum ſecuri percuſſum eſſe non ignorabas, an tanto, eóque etiam *Sanguine*

* Jenchin. Ibid.

iſta

ista *recrementa amoveri* placebat ? Hæc à Christiano, ab Ecclesiæ Ministro, à te præsertim dici, *Jenchine*, miror ; qui cùm perpaucis antè annis in capitis tui periculum venisses, ut vitæ consuleres, *libellum* istum *supplicem* obtulisti, causæ quam susceperas, renuntiâsti, & non versùs Altare (quod tamen nunquam hîc legibus præceptum, neque à multis usurpatum fuerat) sed ante stipitem temet incurvâsses. Et siccine tibi subitò eviluerat humanus *sanguis* ? Memineris illius diei cùm fatale tempus haud multum à te abesse crederetur ; redeat tibi in mentem quanta fuerit hujusce lucis dulcedo, quanta tum auræ vitalis fames ; cogita, quæso, tecum quot votis, & obsecrationibus Caput istud redemeris : Noli aliis tam sævus esse, qui tibi adeo mollis fuisti. Sed est aliud quod te magis etiam urget. Hîc, ut sæpè aliàs, præceps nimis, & festinus fueras ; nimium tu citò triumphaveras. Nondum enim exacto quinquennio, obiit *Cromwellius*, ejecti sunt alii, rediit ad suos sereniſſimus, exoptatiſſimúsque *Carolus*, revecta sunt cum ipso ea, quæ vocas, *recrementa*, impositum est denuò *Jugum* illud *Antichristianum*, quod dixeras ; quid nunc nobis faciendum censes ? an iterum *Sanguine* litandum erit ? an iterum ad arma convollandum ? Respondeas, obsecro te : Si negaveris, mentem istam sceleratissimam, vel tandem te mutâsse gaudeo : Si dixeris ; ad novas turbas, atque altera bella, voce tam horrendâ, hoc quasi classicum ceciniſti. Multi te his de rebus crebrò

atque

atque enixè rogarunt; ſed hactenùs ſapienter tacuiſti. Obteſtor te ut aliquando hominum expectationi ſatisfacias; edicas clarè, an adhuc in eadem ſententia perſiſtas. Si perſtiteris, (quod quidem conjicimus, quoniam ſiles) quâ fronte puerilia mihi *facinora* objicere es auſus; cùm *Conformiſtæ* omnes unam cervicem ſi haberent, eam tu, nè *Jugum* hoc quod ſomnias diutiùs ferremus, primo quoque tempore præcidendam putares? Iraſcéris, credo, mihi quòd hæc de te tam liberè dixerim. Verùm id, ex iſtis quæ ſuprà poſui, apertè conſequi dico. Sed ſentio me provectum eſſe longiùs, pluráque forſan, quàm par eſſet, locutum. At nimio huic mei defendendi ſtudio dabitur, ſpero, venia; hoc quaſi exemplo monſtrare volui, quàm non eſſet difficile hujus hominis errores particulatim refellere; reliquorum igitur ſinguia paucioribus abſolvam.

Wintoniâ itaque relictâ me *Cantabrigiam* uſque ſequitur cuſtos meus, coméſque jucundiſſimus. Quid illîc etiam egerim compertum habet. Nihil hujus oculos emiſſitios uſpiam terrarum latere poteſt. * *Palam*, inquis, *profectò facis toti mundo, pædagogici pulveris ineptias, vel ſaltèm ignaviam Academicam (ex qua te ſatìs notum antehac dediſti) te necdum penitùs exuiſſe.* Neſcio quas hîc *pædagogici pulveris ineptias* velis. An me *Pædagogum* fuiſſe ſimulas? Grave crimen! nec tamen fui. Te, ſi ex hoc ſcripto, aut aliis etiam conjectare liceat, vel habuiſſe unquam *Pædagogum* vix crediderim: Aut ſi

* Refutat. ſect. 5. p. 9.

 fortè;

fortè; non erat is *Orbilius*, si enim fuisset, nondum tibi, puto, detumuissent vibices. Sed videamus potiùs de *ignavia Academicâ*, *ex quâ*, ut ais, me *satis notum antehac dederam*. Sit illud ità sanè: at præstat otiosum esse, quàm, ut tu, magno conatu, & molimine aut nihil, aut malè agere. Quàm sedulò aut nunc, aut olim studiis incubueris, non invenio; nec te tamen ideò *ignavum* dixerim. In multis enim strenuè admodum te geris. Si Adversarius calumniis appetendus, si convitiis proscindendus, si cum Grammaticis decertandum, si bona Causa deserenda, si Authores compilandi, siquid aliud denique, quod tantum Virum deceat, faciendum fuerit, facis tu, & quidem gnaviter. Sed unde illud de *Ignavia* mea adeò tibi notum erat? Tu cùm hîc propè regnares, omniáque ferè nutu isto ac supercilio regeres, sciebas scilicet tum fuisse quendam *Cantabrigiæ* adolescentulum inertem planè ac desidem, qui dies totos pandiculando, & oscitando, consumeret; qui in umbra jacens, artúsque lenitèr exporrigens, subinde exclamaret, *O utinam! hoc esset laborare*: An tu tum simile quicquam de me audieras? Id tu utique curabas! Erant forsan istic etiam *Viri Docti & fideles*, ut *Wintonienses* illi, qui ista tibi nuntiarent. Minimè verò; tu tum de *ignavia* mea nè somniaveras quidem. Postquam autem tuâ intererat me infamem videri, omniúmque in me iras & odia concitari; tum demùm ea quæ mihi ignominiam conflare poterant,

rant, undique conquirebas; atque hoc aut ipſe confinxeras, aut à neſcio quo arreptum, chartis tuis temerè illeveras. Namque hîc te lapſum eſſe doctiſſimorum Virorum eorúmque qui me norunt teſtimoniis convinci poſſe arbitror. Ut enim aliis minores in literis progreſſus fecerim, at ſtudium mihi & induſtria nunquam profectò penitus defuit. Sed fac me antehac *ignaviſſimum* fuiſſe; in poſterum enitar ſanè quantum poſſum, *Jenchine*, ut tecum, non ingenio, quo te plurimum valere putas, non dicendi facultate, in qua tibi nemo unquam ſimilis fuit; ſed quod pluris eſſe debet, diligentiâ & labore contendam.

Proficiſcamur autem *Cantabrigiâ*, atque nunc *Londinum* veniamus. Et quid hîc notare potuiſti, quod in me magnoperè reprehenderes? * *Operam*, inquis, *tuam ſtudioſiùs concionandi officio impendas velim*: Tu ſcilicet hoc vis? at quare? *ut tandem Auditorum tuorum numerus Columnarum Templi tui (ſi fieri poteſt) exuperet numerum.* Non optas, opinor, ut plures ad me audiendum conveniant: Sed homo beatulus, & gratioſus places tibi; quoniam magni ad te hominum concurſus fieri ſolent; & propter iſtam frequentiam, Auditorum meorum paucitatem contemnis. Verùm hoc mihi moleſtum non eſt; poſtquam enim ad *Concionandi officium* acceſſi, nunquam id egi ut populus mihi plauderet, aut in mei admirationem raperetur; ſed ut, Dei gratiâ adjutante, homines ad pietatem, morúmque ſanctimoniam, pro meo quidem modulo, erudi-

* Refut. Sect. 2. p. 4.

em. Multósque in hâc Urbe viros doctissimos esse lætor, qui mihi præcellant, & meritò anteponantur. Nihil verò mirum, cùm tot sint hîc Ecclesiæ, esse nonnullas paucis *Auditoribus* contentas: Idem olim accidisse meministi, cum tui hîc, exulante Rege, publicè concionarentur. Tu autem iniquissimè agis, *Jenchine*; secedis à nobis, multos unà tecum trahis, magnóque *Celeusmate* ad te audiendum invitas: & tum nos posteà irrides etiam, propter eam *auditorum* infrequentiam, quam ipse fecisti. Sed nostin' tu tamen quot sint *Columnæ* in eo *Templo* quod meum vocas? si nescis, Decem sunt, ordine duplici, utrinque quinæ. Rem nunc ad calculos revocemus: atque dato *Columnarum numero*, *Auditorum numerum* inveniamus. Decem sunt *Columnæ*: *Auditores* igitur mei, (nisi tu à vero aberraveris) quatuor erunt, aut sex; aut ubi confertissimi conveniunt, novem fortassis, aut ad summum decem; plures enim esse non oportet, nè *Columnarum numerum exciperent*. Sic tu rem quasi ad digitos computaveris. At est profectò Virorum fœminarúmque *numerus* haud plane contemnendus, qui me aliquot nunc annos non indiligenter audiunt; *Nonconformistarum* complures, multo pauciores habere aiunt. Si quid ego de te, hujuscemodi confinxissem; hæc in me continuò non verba, sed fulmina tua jaculatus esses: † *In trito tuo tramite, mendaciorum scilicet, adhuc pergis,* * *Improbe.* ‖ *Vah! mendacia tua bis, térve, quatérve repetita, haud veri-*

Problem. Gul. Jenchin. solvend.

† Refutat. Sect. 4. p. 7.
* Ib. Sect. 3. p. 6.
‖ Sect. Ib. p. 5.

tus

tus es effundere, * *Ardelio.* Hos in me ſtyli *Jenchiniani* floſculos largâ manu conjeciſſet præclarus Orator. Sed forſan inquies, hæc à te figuratè dici; id modò velle, *Auditores* admodum paucos eſſe. Intelligo. Vir viro quantum præſtat! Ego ſi quid ſimile habuiſſem, *mentitus* eſſem ſimpliciter; tu quoniam in Rhetoricis verſatus es, eleganter tibi & ornatè dicere videris. * Ib. Sect. 3. p. 4.

Verùm ut fuerint *Auditores* mei ſanè pauciſſimi; at non erat cur tu me ideò quaſi minùs *ſtudiosè concionantem* inſimulares. Nihil hîc mihi arrogo: Noveram me non fuiſſe magni pretii hominem, etiam cùm tu taceres; ſed ſi aliud non habueris, ex *Auditorum numero,* nihil de me certi judicare potuiſti. Vulgus enim, ut tu optimè noſti, voce canorâ & verborum crepitaculis, magìs plerumque quàm rerum pondere capi ſolet. Si quis unquam, præter *Marcum Tullium,* tuam, *Jenchine,* facundiam æquiparavit, erat is *quidam Demoſthenes Athenienſis,* hîc tamen aliquando relictus eſt à corona; ſed cùm ſe de re leviſſimâ, & pæne † *Celeuſmaticâ,* perorare velle diceret, eo commento frequentem populum in concionem retraxit. *Gregorius* ille *Nanzianzenus,* maximus, ſanctiſſimúſque, ſummæque eloquentiæ Vir, ſe tamen * contemni & faſtidio eſſe graviter conqueſtus eſt. Sed ne antiqua & externa quæramus; *Sæmannum* tu etiam propter concionandi peritiam, miris in cœlum laudibus extuliſti; ſed & hunc non ſemper denſiſſimam auditorum turbam habuiſſe ſatìs novimus. † σκιᾶς ὄγκ. * Vid. Greg. Nazian. Orat. 2.

mus. * *Non est enim*, ut ait *Cicero*, *consilium in vulgo*, *non ratio*, *non discrimen*, *non diligentia*. Et *Hieronymus*, † *Nihil*, inquit, *tam facile*, *quàm vilem plebeculam*, *& indoctam concionem linguæ volubilitate decipere* : *quæ*, *quicqnid non intelligit*, *plus miratur*. Vides quantum hi multitudinis judicio tribuerint ; & quibus artibus plebeiorum animos, & gratiam captare possis. Cùm hæc dico, neque me cum iis, quos modò nominavi, Viris comparo ; neque mihi populi studium deesse doleo. Sum enim tenuitatis meæ probè conscius, & sunt tamen nonnulli, quæ eorum est humanitas, qui me nunquam admodùm despexerunt. Sed cùm me carpseris propter *Auditores* minùs frequentes, feciſti imprudenter ; quanquam enim mihi non planè desit, nihil tamen vulgi favore levius, & incertius esse nôsti. Quòd verò suades ut *studiosiùs Concionandi officio* incumbam, esset hoc quidem à te amicè factum, *Jenchine*, maximásque tibi gratias agerem, nisi exprobranti, quàm monenti similior videreris. Quicquid fuerit, morem tibi gero ; quódque hactenus feci, posthac quoque pro virili meâ faciam. Et certè has ipsas horulas, quas nunc in *Refutatione* tuâ excutiendâ non optimè collocari video, sacris *concionibus* elaborandis libentiùs multò impenderem. Sed dum crimina à te objecta diluo, longior sum ; semel itaque sic habeto ; Me, bono cum Deo, ab ineunte ætate sic vitam instituisse, ut non modò ab infamiâ, verùm etiam ab omni gravioris delicti suspicione semper

* Cicer. in Orat. pro Planc.

† Hieron. ad Nepotian. Ep. 2.

per quàm longiſſimè abfuerim ; ſic me ubique geſſiſſe, ut Viri Ampliſſimi, doctiſſimíque aliquam mei rationem habuerint ; ſic denique cum familiaribus verſatum eſſe, ut æquales me mei neque oderint unquam, neque planè contempſerint.

Atque hæc quidem mihi reſpondere viſum eſt ad ea, quæ tu de me maledicendi animo temerè confinxeras. Quod ad reliqua orationis tuæ ornamenta ſpectat, quæ tu quaſi Margaritas quaſdam in tam præclaro opere extare voluiſti ; iis ego nihilo magìs moveor, quàm ſi mihi cum inſano homine res eſſet, qui ſaxis facibúſque, & quicquid incertus furor arriperet, pro telis uteretur. Cùm me * *Ardelionem*, † *Improbum*, ‖ *Aſmo haud prorſus abſimilem*, * *ſcurrámque dicaciſſimum vocas* ; *cum mihi* † *craſſiſſima mendacia*, ‖ *ſummam inſcitiam*, * *grunnitum* etiam ſimiliáque paſſim tribuis ; haud moleſtè fero. At ſi te hujus intemperantiæ nondum piget, tui profectò cauſâ aliquantulum doleo, quem Bilis flava perpetuò efferveſcens tot nunc annos torſit, neque adhuc tamen ſatìs deferbuit.

* Pag. 4.
† Pag. 6.
‖ Pag. 27.
* Ibid.
† Pag. 5.
‖ Pag. 18.
* Pag. 8.

Eſt ſanè Libellus tuus & molè, & pretio leviſſimus ; eum legenti n hil propè occurrit cordato homine dignum. Unum verò eſt quod non ſine riſu ſæpiùs notavi. Ubi aliquid *refutare* vis, non novis illud argumentis aggrederis, neque antiqua pleniùs explicas, ſed, quoniam difficile eſt vel paucas guttulas de pumice exprimere, quædam

dam de *Celeuſmate* plerumque deſcripta ægro jam laſſatóque Lectori iterum propinas. Bona itaque Scripti tam exigui pars de priore tuo libello deſumpta eſt. Cum hoc primùm animadverterem, veniebat mihi in mentem quod de Viro quodam furaciſſimo apud *Martialem* olim legeram :

Si nihil invaſit, Puerum tunc arte doloſâ
Circuit, & ſoleas ſurripit ipſe ſuas.

Quàm periculoſum eſt malis artibus diù aſſueſcere ! Antehac, cum ſcriberes, peſſimo exemplo in aliena, nunc pari audaciâ in tua involâſti. Sed ut hoc tibi licuiſſe concedam : At quid intereà miſeris Lectoribus facies, quibus jam nauſeantibus frigida, olidáque de heſterno jure fruſtula tam importunè obtrudis ? Verùm qualiacunque fuerint, quæ tu emittere es auſus, ea nunc curſim, breviſſiméque quantum potero, perſtringam.

Atque in ipſo hujus opuſculi veſtibulo non * *inficiaris te in Celeuſmate culpam Dominis meis impegiſſe, quòd Reſponſioni quam ad libellum meum* Jenchinus *non ità pridem parabat, præter fas & æquum obſtiterint, gravem in illos ſtatuendo pœnam qui ulla ejus meditamenta in publicum emitterent.* De ea re cum diligenter quæſierim, nihil comperio ; & certis de cauſis nondum adducor ut credam. At quicquid fuerit, † *Iſtam quantumcunque injuriam* Jenchino *à Reverendiſſimis illatam abunde penſatam cenſes, per eam licentiam mihi ab illis indultam, hanc ad Celeuſma Reſpon-*

* Refut. Sect. 1. p. 3.

† Ibid.

Reſponſionem, quam voco, in lucem emittendi. Quid enim, inquis, vel ad evertendam tuam, vel ad cauſam conſtabiliendam noſtram, aptius excogitari potuit, quàm ſcriptum hoc, &c. Ego itaque inſciens, ut video, plurimum tibi opitulatus ſum *Jenchine*; illud certè tanto Viro perquam commodè acciderat. Redibis igitur, utì ſpero, mecum aliquando in gratiam; intelligis enim, opinor, quantum mihi debeas, qui illud ultrò & non rogatus effecerim, quod tu multo labore vigiliíſque nequicquam tentaveras. At *ſubit mirari*, ut ais, * *quid mihi in mentem venerit tanta cum fiducia, Lemma hoc futile & ἀπροσδιόνυσον, Reſponſionem ſcilicet, Libello meo apponere?* Et pòſt paulo, *Magìs eſſe Reſponſionem ad Celeuſma, quàm ad ipſum Turcicum Alcoranum negas, pernegáſque.* Ubi ſcriptum illud primum exierat, ſimilia à te jactata fuiſſe audiveram; & multa hîc elegantis ingenii veſtigia obiter deprehendo, ut in tuis pleriſque; infinitus eſſem ſi ſingula vel ſtrictim percurrerem. Sed deſine *mirari*; ego Libelli mei Titulum, ut tu tui, pro arbitrio meo finxi. Hiſce autem non eſt operæ pretium immorari. An ego tibi *Reſponderim*, an tu me *Refutaveris*, nos inter nos litem hanc nunquam profectò incorruptè finiemus, eam itaque aliis dijudicandam relinquamus.

* Ibid.

At † *quid?* inquis, *quòd vir integerrimus, nullíque parti, niſi quæ ſtat à veritate addictus, non ità pridem me certiorem fecit ſymmiſtis tuis conformibus, prorsùs diſplicere libellum tuum, eo potiſſimùm nomine, quòd ar-*

† Sect. Ib. pag. 4.

mis adeò plumbeis & obtusis, vestram propugnaverit, nostramque oppugnaverit causam. O! te fortunatum, *Jenchine*, cui, cùm sis totus Aureus, ut *Apuleianus* ille, cum homine *Plumbeo*, & *obtuso* committi contigerit! Varia de scripto meo etiam *Conformistarum* judicia minimè miror; idem quotidiè fieri solet; neque tu quacunque de re temerè reperies consentientem doctorum, indoctorúmve multitudinem. Mihi sanè dubia non essent ea quæ tibi *Virum* quendam *integerrimum* retulisse ais, nisi fidem tuam multis clarissimisque indiciis cognitam haberem. Verùm nunc aut te ista commentum, aut *Integerrimum* illum aliquantulum errâsse conjicio. Nostros enim *Responsionem* meam haud omninò improbare ex plurimorum sermonibus, hominúmque doctissimorum datis ad me literis dudum accepi. Neque nostri modò, verùm etiam exterorum nonnulli, in quorum manus istud scriptum inciderat, satìs de eo amicè pronuntiant. Illi nimiâ forsan humanitate lapsi sunt: Unius tamen sententiam ad verbum propè expressam hîc adiiciam. Sic ergo Vir quidam ex natione Gallicâ clarissimus doctissimúsque, in Angliam scribens, * *Valde*, inquit, *tibi obstrictus sum, quòd pro tuâ bonitate Domini*, Grovii *librum ad me miseris, qui scriptus est benè, Ecclesiámque Anglicanam cum vigore defendit.* Habes de scripto meo Viri Clarissimi judicium à tuo quidem paululùm discrepans; si scire aves quid idem ille de *Clamore* tuo senserit; quod cæteri

* *Je vous suis bien obligé de la bonté que vous avez eue de m'envoyer le livre de Monsieur* Grovius, *qui est bien escrit, & qui defend l'Eglise Anglicane avec vigeur.*

cæteri ferè loquuntur, * *Optandum*, inquit, *foret istud Celeusma in Orbe nunquam visum fuisse.* Hæc apud me, ut alia, pressissem libens, nisi *viri* istius *Integerrimi* testimonio nonnihil opponendum putarem. Sed ut mea etiam nostris prorsus displiceant; sint *Plumbea*, ut vis, & *obtusa*. At casus profectò tuus miserandus planè esset, *Jenchine*, si cùm olim in causâ *Lovianâ* Ferrum tam solerter effugeris, nunc Triumphator egregius *Plumbo* tandem prostratus jaceres.

* *Il seroit à souhaiter que ce Celeusma n'eust point paru dans le monde.*

Hæc autem, si tibi videatur, prætereamus, transeamus jam ad alia; & † *Quid verò*, inquis, *in causa fuit (mi Grovi) quòd in Authore Celeusmatis investigando, operam tuam tam futiliter collocaveris?* &c. Quoniam rogas, dicam paucis. Cùm tuum *Celeusma* primùm evolverem, incidi in *Errata* quædam, quæ non solùm in fine, sed, & in ipso operis initio diligenter adscripseras; in iis notulam quandam deprehendi, * [*Quidam legi volunt consimilia quæ creata*] unde statim suspicari cœpi, quod antea fando acceperam, scriptum illud non tuo tantùm stylo, sed etiam doctorum hominum Conjecturis perpolitum, & emendatum fuisse. Cùm alia excuterem, de *Thoma Dansono* confitentem inveni; † *Ultrò enim agnoscis te viri sagacis industriâ in ruspandis istis fæcibus multùm adjutum.* Ubi totum legeram, plurimas orationis, ingeniique *Molinæani* elegantias animadverti: ‖ Multa autem mihi comperta fuerant cur de tua opera minimè dubitarem. Hujus igitur laboris gloriam te cum

† Refutat. Sect. 2. p. 4.

* Vid. Celeus. errat. post Admonit.

† Celeusm. in Admonit.

‖ Vid. Respon. p. 3, 4.

duobus iſtis partiri debere conjeceram; ſic tamen ut * primarias tibi partes ſemper tribuerim: † Etenim *Danſonum* in *Parallelis* congerendis, te in toto opere concinnando, *Molinæum* aut Latinè vertendo, aut Sermone tuo accuratiùs limando plurimùm ſudâſſe credebam. Neque me ab ipſius rei veritate aberrâſſe puto. De ‖ *Danſono* ipſe faſſus eras; de te negare non audes; *Molinæus* autem poſtquam iſta ſcripſeram, profeſſus eſt de ſe, & conqueſtus aliquantulum, quod ei per te non ſemper licuerit illud ſcriptum pro ſuo arbitrio perpolire. Tu ſcilicet Libellum, non ſanè pulcherrimum, perverſitate tuâ magìs etiam deformari voluiſti. Hujus rei teſtes non deſunt Viri doctiſſimi, fidéque digniſſimi. Aut ut nulli fuerint, ſi quis tamen ea quæ ſunt poſtremò à te edita cum *Celeuſmate* tuo conferre non gravabitur, vel ex mutato dicendi genere facilè perſpiciet, *Refutationem* hanc nondum perfectam eſſe, cùm obiret *Molinæus*.

* Ib. pag. 4.

† Ib. p. 3.

‖ Celeuſ. in Admon.

Verùm ego in *Celeuſmatis* ſive *Authoribus*, ſive Adjutoribus inveſtigandis unicam pagellam, aut paulò ampliùs impenderam; tu me, pro fide tuâ, non pauciores * quatuordecim eo in opere conſumpſiſſe ſimulas. Et tum, *Annon hâc*, inquis, *indagatione indoles tua puerilis, quæ ineptiis ejuſmodi tantopere demulcetur, omnium obverſatur oculis?* Minimè verò, *Jenchine*; non, ſi illa eadem latiùs, uberiúſque perſecutus eſſem. Faciunt idem quotidiè homines eruditi; neque ſe tantùm veniam, verùm

* Pag. 3. ad pag. 17. Refut. pag. 4. in Marg.

verùm etiam laudem aliquam promeritos putant, ſi omnia ſolicitè perſcrutati, longâ demùm argumentorum ſerie ſcriptum aliquod inſigne *Authori* ſuo addixerint. Quidni & mihi ſimile quid in *Celeuſmate* paucis experiri liceret? Meâ certè Lectorúmque plurimùm intererat ſcire, undè prodierit *Clamor* iſte clamoſiſſimus; nè quis ignoraret quantum fidei his quæ eſſent dicta, tutò tribuere poſſet. Tibi quoque me rem non prorsùs ingratam facturum ſperavi, cùm te de Anonymorum ſcriptorum latibulo extractum, in omnium oculis & conſpectu collocarem. Si verò tibi *Danſonus*, *Molinæúsque* aliquid ſubſidii attulerint; neque iis invidere, qui tam amicè fecerint, neque mihi ſuccenſere debes, qui illud non minus candidè & apertè dixerim. Eſt enim maximum liberalis animi indicium, libenter agnoſcere per quos profeceris.

Poſtquam iſta de *Celeuſmatis Authore* tuo more carpſeras, * *Ægrè*, inquis, *admodum te tuliſſe video, quòd pro mendaciis tuis craſſiſſimis, te Celeuſma noſtrum (hanc ſatis licet pro meritis) caſtigaverit. Celeuſma noſtrum!* illud quidem rectè; Tuum enim dici non poteſt. Vehementer autem erras, ſi me ea quæ fingis, *ægrè admodùm tuliſſe* [redacted] credideris. Nam, quod mireris, (quódque hactenus nemini mortalium, niſi mihi, contigiſſe puto) ego certè iis quæ de me ſcripſiſti ſummopere etiam delectari ſoleo; habeóque tibi gratias, *Jenchine*, quòd me jam aliquoties incredibili tuâ maledicentiâ recreaveris. * Refut. Sect. 3. p. 5.

averis. Quid enim animo meo jucundius accidere potuit, quàm ineptus iſte furor tuus, & effrænata mihi obtrectandi libido? cùm quamvis omnes de me ſuſpiciunculas ſtudioſiſſimè indagaveris, nihil tamen attuleris, niſi quod aut puerile prorsùs, aut falſiſſimum fuerit.

* Ibid. Sed quid tu porrò de * *craſſiſſimis Mendaciis? Verùm enimvero*, inquis, *dum unum te à Mendacium amoliri, téque ab uno liberare ſatagis, idem tibi ferè accidit, quod de circuitore tinnienti, ſive ſartore ærario narratur, qui poſtquam unum in vaſe foramen promiſit reſarcire, non aliâ arte unum illud obturare poteſt, quàm vas duobus aliis in locis perforando.* Hæc ideò adſcripſi, nè fortè Lectorem ſummâ voluptate fraudarem; mihi enim ſupra modum lepida videntur: mirum ſi quis iſta, ut alia pleraque, ſine riſu legere potuerit. At quid tum deinde?

† Ibid. † *Etenim cùm de hoc uno Mendacio, te ſubmonuerim,*

Vind. Cler. Conf. p. 37. *nempe quod Jenchinus ut ipſe impunè evaderet, æquo animo permiſerat ut ultimo ſupplicio Lovius plecteretur*, &c. In eo quem notâſti loco nihil his ſimile reperio. Si tibi liceat iſtoc modo *Mendacia* pro me cudere, non eſt dubium quin abs te aliquando *Mendaciis* probè ornatus abſcedam. Quaſi verò *Lovium* aut tuo *permiſſu* occiſum, aut te illud *æquo animo permiſiſſe* dicerem; cùm tu illius Viri fatum avertere non potueris, etiam ſi id maximè voluiſſes; neque quiſquam, qui te ſatìs novit, facilè crediderit te ullâ unquam in re aliquam *animi æquitatem* ſervâſſe. Iſta igitur, qualiacunque fuerint, non ſcripſeram;

ſcripſeram; ſed ubi tu, in eâ * *Concione* quâ in noſtros tam petulanter invectus es, neſcio quid de tuâ in *Lovium fidelitate* gloriabundus effutiveras, dixi me † ex nonnullis audiſſe eam ſibi *fidelitatem* haud utique magnam videri, quòd cùm te quædam de obedientia, quæ iſtic poſueram, reperiſſe finxiſſes, *Lovium* de iis non monueris. Et erat ſanè veriſſimum, complures mihi iſta ſic narrâſſe; neque tuorum, ut puto, aliquis hâc de re aliter ſentiebat. Nihil tamen amplius addidi, quàm ‖ debere te aut tuam in occultanda ſententia *Fidelitatem* oſtendere, aut etiam *Pedes Calumniæ deoſculari.* Nam hoc te ultro facturum dixeras, ſi quis quicquam contra *fidem* tuam afferre auſus fuerit. Et feciſti forſan jam; aut certè, pro ſummo tuo in omne *Calumniarum* genus amore, facies opinor, propediem. Ubi enim iſta de *æquo animo* tuo ſcripſeram? Profectò, nè cogitaveram quidem. Quòd verò ais te *de uno hoc mendacio me ſubmonuiſſe*, erras, *Jenchine*, aliud longè erat, ſi quid erat, de quo me *ſubmonueras*: illud nempe * *Quod ſupplicio Magiſtri Love Jenchinus molitus fuerit ut impunè evaderet.* Hoc eſt † *craſſiſſimum* illud *Mendacium*, quod tu *in Utopia feraciſſimâ Mendaciorum provinciâ excogitatum, ſive potiùs in officina mendaciorum parentis fabricatum dixeras.* Scilicet nos falſi ſumus; tu, ut videtur, non es *molitus ut impunè evaderes.* Rogârunt te, credo, Parricidæ ut cuſtodiâ exires; *ſupplicarunt* Viro forti & magnanimo ut ſibi parceret, útque ei tandem vivere liberet. Probè narras!

* Conci in Sæman. p. 39.

† Vind. Cler. p. 37.

‖ Ibid.

* Celeuſ. p. 4. in Marg.

† Ibid.

narras ! priùs certè non audieram. Sed tecum tibi non convenit. Nihil enim hîc de *æquo animo*, tuóque *permiſſu*. Pro veteri igitur illo novum nobis *Mendacium* peperiſti. Sed perge, precor, * *Cúmque ex hâc monitione amantiſſimè tibi indulta, à me expectaretur, ut vel Conſcientiam, vel famam ſaltem tuam in tuto collocares, per criminis tui agnitionem humilem, & ſeriam pœnitentiam* : Hæc tu non ſine cauſa *expectaſſes*, ſi quid hîc in me flagitii admiſiſſem. Sed quantâ de ſpe quàm ſubitò decidiſti miſer ! Etenim † *Vah !* inquis, *Mendacia tua bis, térve, quatérve repetita, haud veritus es effundere.* Et tum poſt iſta ſtatim quatuor, non pauciora, *Mendacia*, quæ ſomnias, mea pulchro ordine enumeras. Ego herclè, *Jenchine*, neminem hodiè hominum uſpiam reperiri poſſe exiſtimo, qui tecum in *Mendaciis* effodiendis, dividendíſque, ullo modo conferri queat. Unum à me veriſſimè dictum in *quatuor Mendacia* mirâ arte tribuiſti. Si quid in poſterum contra me ſcripſeris, ſi te amas, fac ut viginti ad minimum *Mendaciis*, onuſtus prodeam. Vel ſi Centum aut Mille huic numero prætuleris, audeas modò, omnia hîc tibi non minus quàm nunc feliciter ſuccedent.

* Refut. ubi ſupr.

† Ibid.

At videamus, interea de iſtis *quatuor*. De *primo* & hîc & ‖ aliàs ſatìs eſt dictum ; *tertium*, *quartúmque* adeò ſunt nugacia, ut ea etiam recitare pigeat, de *ſecundo* autem paucis agam. Ais itaque me * *Negare Lovium monitum fuiſſe à Jenchino, de ſententia ipſius circa obedientiam ſupremis poteſtatibus debitam*

‖ Reſponſ. p. 21, 22.

* Refut. Ib.

debitam. Sic eſt : non diffiteor : ſi verò tu verbulum hîc aliquod addidiſſes, quò hunc ex animo meo errorem evelleres, in aliam ſanè ſententiam libentiſſimè tranſirem. Sed iſtud à te fruſtrà expectamus ; nihil oſtendis, nihil arguis : * *Secundum quod crepas Mendacium hoc eſt*, inquis : tum illud ponis quod modò ex *Refutatione* tuâ deſcripſi ; neque ullam prætereà voculam adjicis ; ſed continuò ad *Tertium* tranſis, atque de eo tantundem probas : tum ſatìs faſtidiosè interrogas : ‖ *Quis tibi (mi Grovi) duplex hoc mendacium in aures tuas inſuſurravit, vel quòd Jenchinus in pectoris ſcrinio, ſententiam propriam de hâc re celaverit, & Lovium de eâ (quantùm in Jenchino fuit) non monuerit, vel quòd, &c.* Quoniam ex me quæris, dicam apertè unde primùm iſtam de te opinionem conceperim. Plurima autem erant quæ illud mihi ſuadere videbantur : Olim cùm factum illud recens eſſet, eadem de te vulgò exiſtimabant ; omnium ferè calculo damnatus es ; eras apud tuos minus gratioſus ; te amicum causámque pariter prodidiſſe clamitabant ; tu *Lovium* ut præcederet, ille te, ſed nequicquam, ut ſequereris hortatus eſt. Nihil tùm de *Monitione* iſtâc auditum, non ſic te defendebas ; prævalebat aliquamdiu pudor. Sed neque nunc te illum *monuiſſe* ais ; latebras tantùm & effugia quæris. Subinnuis modò te *monuiſſe, quantum in Jenchino fuit.* At forſan non poteras ; clauſi erant tibi omnes ad eum aditus, & militibus obſepti. Cur igitur literas ad eum non dediſti ? Aut ut hoc quoque

* Refut. Ib.

‖ Ibid.

vocis tuæ iter intercluſum fuerit: Cur non Parricidis confeſtim *ſupplicâſti*, ut tibi ad *Lovium* ire, atque unà colloqui liceret; velle enim te, pro pietate tuâ, illum ſalutariter monere, ut Cauſam Regiam * ejuraret, atque ut Ipſos, quaſi novos nobis Reges à Deo datos, ſerviliter agnoſceret? Hoc ſi feciſſes; nihil, puto, tibi *ſupplicanti* negâſſent homines perditiſſimi, qui petenti poſtea vitam, fortunáſque omnes tam liberaliter conceſſerunt: Si non feceris; non *monuiſti Lovium, quantum in Jenchino fuit.* Sed ego hæc ulteriùs non perſequar, neque *Libellum* iſtum *ſupplicem*; quo quidem tu lucis hujus uſuram mercatus es, *Jenchine*; nimiùm fortaſſis magni: Eo enim Scripto nihil me unquam tetrius, abjectius, ſceleratius vidiſſe memini. De *Lovio* itaque poſthàc, ſi famæ tuæ conſulere vis, nullum tu mentionem facias. *Mendacia* verò mea pleniùs exagitare ſi libuerit; prius velim oſtendas omni populo te eſſe veridicum; hoc enim Bajuli omnes & Equiſones nondum nôrunt. *Mendaciis* hiſce utì par erat, adjunctum eſtà te illud de *Scalpello Wintonienſi*, quod memoras; me autem ſupra telum iſtud tibi de manibus extorſiſſe arbitror.

* Vid. Jenchin. Libell. ſuppl.

Jámque dabitur, ſpero, aliquis mihi à *Mendaciis* reſpirandi locus. Sed væ! homini miſero & infelici! Oculos in ſequentem proximè pagellam conjicienti Monſtra hæc in ipſo limine occurrunt. * *In trito tuo tramite, Mendaciorum ſcilicet, adhuc pergis. Dicis, Cùm Jenchinus in Clerum Conformem detonaret,*

* Refut. Sect. 4. pag. 7.

tonaret, nullum ſe diſcrimen feciſſe, neminem excepiſſe, univerſos intellexiſſe. Cùm hoc * primùm objiceres, non dixeram; ſed tu illud, ut alia multa, pro libitu tuo commentus fueras; quòd te de eo altiſſimâ voce *Clamare* poſſe crederes. Tum ego, * *Si dixiſſem,* inquiebam, *cur tu me propterea Mendacii argueres non video. Cùm enim more tuo in Clerum Conformem detonares, neque ullum ipſe diſcrimen faceres; cur eam ego contumeliam ad omnes pertinere non putarem? Qui neminem excipit, univerſos intelligere videtur.* Neque tu, quicquid dixeris, in ea, de qua agebatur, *Concione* quenquam exceperas, eorum quidem qui tum vivebant. Quoſdam certè nominaveras Viros longè Clariſſimos; at horum alii ampliùs Centum, qui minimum prope Quadraginta abhinc annis diem obierant. Neque illud ad noſtrorum famam, à te indigniſſimè violatam, quicquam conferre credebam, quòd Superioribus ſeculis fuerint in Eccleſia Anglicana nonnulli, quos tu pro *Hæreticis* non haberes: Cùm præſertim hos ipſos non aliam ob cauſam laudaveris, quàm ut horum temporum *Conformiſtas* graviùs incuſares; quòd, ut tu te ſomniâſſe ſimulaveras, ab eorum fide & moribus turpiſſimè degenerâſſent. Sic tu Noſtrorum aliquos graviſſimorum criminum ſuſpicione liberas. Neminem nominas qui non fuerit multis antè luſtris extinctus; cæteros, in eo maledicendi æſtu, nec particulatim, nec univerſim exceperas. * Poſteà vel Conſcientiâ, vel pudore victus, quibuſdam paulò æquior videri volebas;

* Celeuſ. Sect. 9.

* Reſponſ. pag. 19.

* Juel. Whitac. &c. Conc. in Sæman. p. 55.

* Celeuſ. Sect. 9. & alib.

volebas; ſed ego, cùm *Vindicias* iſtas ederem, divinare non poteram, quid tu, poſt annos fermè quatuor in *Celeuſmate* tuo ſcripturus eſſes. Ineptiendo, & tergiverſando nimis moleſtus es, *Jenchine*: Muta, quæſo, tandem iſtos mores: candidè nobiſcum & apertè agas: dic te aliquanto, quàm deceret, vehementiorem fuiſſe, aut potiùs te irâ & odio lapſum eſſe fatearis. Fac quod hominem ingenuum facere eſt æquum. Aut ut me audire abnueris, gaudeo tamen quòd de priſtino rigore vel tantillum remiſeris; quòd aliquot nunc *Conformes* in *Orthodoxorum* numerum receperis.

Sed audi: eſt aliud quiddam quod tibi in aurem dictum velim. Cur tu turpiculum illud ac fœtidum de *fimo equino*, de quo te ‖ priùs monueram, hîc etiam iterum adſcribis? Bene eſt! Ignoſcite Lectores, homo delicatulus & lautus ſua vobis Bellaria apponit, * *Fimum equinum innatantem in turba Pomorum.* Expectatis forſan & Nuces: ſed ipſe ſibi ſervat; has enim, ut video, ſtatutum eſt ei nondum relinquere.

Reſponſ. p. 57.

* Refut. p. 7. & Cel. p. 35, 36.

De Stercorario autem tuo, *Jenchine*, ad alia multum diverſa, ſatìs abruptè tranſilis. Dixeram te † *Conformiſtis ſemper infenſiſſimum fuiſſe*; quod etiam ex *Verſiculis* quibuſdam à te olim conſcriptis oſtenderam. Tu ſic te defendere conaris, * *Per hoſce verſiculos Jenchinus nec Eccleſiæ Miniſtros, quos flagranti affectu complectitur, imò nec revera homines, ſed impurum potiùs quendam exagitavit gregem de hara porcorum, ad quos Grovius ex hoc grunnitu ſuo, ſe aggregâſſe*

† Reſp. p. 8.

* Refut. Sect. 4. p. 8.

aggregâſſe videatur. Ut verò inter omnes conſtare poſſit, qualia humani generis propudia, Eccleſiæ Miniſtris, Grovius annumerare ſolet, ſingulos illos, qualeſcunque fuerint, Jenchini verſiculos, prout habentur in Libro Torſhellano, hîc recitare non gravabor. Tum eos, ut minatus fueras, ſtatim adjicis : O quam ſuaves ! Mallem certè *Fimum* iſtum *Equinum* vel tertiùm mihi appoſuiſſes. Quæ te intemperiæ agitabant, *Jenchine*, cùm *Verſus* iſtos obſoletos, & ignotos, de alieno Libro, ubi diù tutò latuerant, protractos, in hominum denuò conſpectum dares ? Cur te prodis, cum celari potueris ? An id agebas, ut unam modo pagellam hiſce næniis impleres ? An cùm ex hâc *Refutatione*, aliíſque intelligerent omnes in ſoluta Oratione quantus eſſes, monſtrare voluiſti quantus olim etiam in *verſibus* factitandis fueris ? Non, inquis, ſed *Ut inter omnes conſtare poſſit*, &c. O rem perquam ſane ridiculam ! Quaſi tibi continuò habenda eſſet fides, ſi fortè te poeticus, aut verus furor incurſaverit : Quaſi tu, ut *Apollo* Pythius, non *Verſus* tantum, ſed Reſponſa etiam quærentibus redderes. Tibíne in Parnaſſo ſomnianti, profectò ſtertenti, ut credamus ? qui, quoniam te novimus, vix jurato crederemus. Illud autem ultrò tibi largior ; ſi fuerint *Sacerdotes* iſti, quos tu *turbam Centuriatam* vocas, quales eos nobis depingis, *cœno* & ſordibus inquinati, *bibuli*, ebrioſi, *vomitu* fœdi ; *verſibúſque* tuis per omnia ſimiles, certo pede nec ſtare nec currere valentes, digniſſimi quidem eſſent, non

qui

qui bonis omnibus ſpoliati in exilium, in carceres, naviúmque ſentinas, ſed qui illicò in rogum flammáſque mitterentur.

Ut vero *turbam* hanc *Centuriatam* meliùs noſcamus, mihi res ab initio ferè repetenda erit. Cùm ferveret hîc maximè Bellum Civile cruentiſſimum, quod homines nefarii contra Regem pientiſſimum gerebant; quicunque Leges Patrias, & Divina humanáque Jura, ſub ficto Religionis reformandæ prætexu, opprimi & proculcari dolenter ferebant, ad pœnam diligenter conquiſiti, fortunis omnibus exturbati, aut quo Parricidis viſum eſt ſupplicio affecti ſunt. Atque Eccleſiæ imprimis Miniſtris Beneficia, quæ dicuntur, adempta, obſcuris ſeditioſíſque hominibus donabantur, qui turbulentas ad populum Conciones habendo, hoc quaſi flabello, graſſantis Belli incendium latiùs ſpargerent. Tum tu primùm, credo, *Jenchine*, in hâc Urbe regnare cœpiſti. Sed cogita, quæſo, pauliſper quos tu *humani generis propudia* rectiùs dixeris; an hos qui tam iniqua ſunt paſſi; an illos qui tam ſcelerata perpetrârunt. At quicquid fecerint, ut aliquod tamen nequitiæ ſuæ velum obtenderent, Scriptum quoddam evulgari juſſerunt, quod *Primam infamium Sacerdotum Centuriam* vocabant, in eo notata erant crimina quædam, ſive vera, ſive ficta, propter quæ poſſeſſionibus ſuis ejecti eſſe dicebantur. Multi bonis exuti ſunt propter ea quæ ſummam etiam laudem merebantur; quòd Legibus obtemperarent;

quòd

quòd populum ad ſacros cœtus ritè frequentandos urgerent; quòd Regi potiùs quam *Parliamento* parerent; quòd in Regio exercitu viſi eſſent; cùm illi conjuges liberóſque inviti relinquentes, domo ſedibúſque ſuis armorum militúmque metu profugiſſent. Nonnulli graviùs deliquiſſe dicuntur; ſed an ſemper verè, tu videris. Aratores certè & opifices ſimilíſque farinæ homines Parochis ſuis propter decimarum ſolutionem aut aliud quid irati, horum nomina ad Veſtros deferebant; in eos qui accuſati erant, nullâ Lege agebatur, nulli teſtes jurati, ſed pro dominantium libidine, inauditi & abſentes damnati, boníſque omnibus expoliati ſunt. Multos etiam inter *Centuriatos* illos probos, doctos, pios fuiſſe certum eſt; ut alios innumerabiles taceam, quos eadem tempeſtas abripuit, qui nihil admiſerant, niſi quòd partibus Regiis, Eccleſiæque Anglicanæ faverent; quod erat tum crimen omnium graviſſimum. Et hos tu *humani generis Propudia* vocas? Quid tu ergo, *Jenchine? Humani generis* Decus & ornamentum ſcilicet! Sed, oro te, quid ſit ſobrium, pium, modeſtum eſſe vel ex *Carolo* diſcas; illum dico, cujus, ut aliorum, *ſanguine amotæ ſunt fæces* iſtæ quas tu *Papiſticas* vocitaveras. Hic, cum ei nonnemo præclaram illam *Centuriam* oſtenderet, peterétque ut profictis ſæpè criminibus, aut nullis, vera & indubitata veſtrorum flagitia ederentur, apertè renuit. Illud enim Chriſtianæ Charitatis proprium eſſe cenſebat, occultari potiùs inimicorum ſcelera,

quàm

quàm malo exemplo palàm fieri. Factum ſanè pulcherrimum, optimíque Regis pietate dignum! Quod verò magìs mirere, illi ipſi qui *Primam* hanc *Centuriam* emiſerant, aliáſque ſe ſubinde daturos polliciti fuerant, nè *ſecundam* quidem emittere ſunt auſi: Rei utique indignitate & infamiâ perterriti ab improbo deteſtandóq; incœpto ſuâ ſponte deſtiterunt. Tu, ut iis omnibus intemperantior viderere, *Centuriatos* iſtos nunc quoque convitiis inſectari non erubeſcis.

Illos *Verſiculis*, quorum ſæpe jam memini, ſatìs odiosè deſcripſeras; cúmque in horum mentionem fortè incidiſſem, * ſtomachari etiam videris, quòd unico contentus, omnes non poſueram. Parcebam certè tibi, & putabam præterea ex unico illo intelligi poſſe, quo vultu Muſæ te naſcentem aſpexerint; erat enim planè mirabilis.

* *Quoſdam recolit, non tamen recitat, verſiculos.* Refut. p. 8.

Turba Sacerdotum, vah! Centuriata pudete.

Multas hîc elegantias habes Poetarum vulgo antehàc prorsùs ignotas. Videamus alterum,

——*Vitæ*
Dum fuerint cantus, Satanæque tripudia veſtræ?

Vis tertium etiam adducam? Eccum tibi!

Dum vomitus cœno, bibuli volutare ſoletis.

Singula

Singula non excutiam, quia mirè inter ſe conveniunt. Sunt enim omnia dura, aſpera, pueriliter affectata, longa nonnunquam corripis, correpta producis, nihil ferè latinè, nedum Poeticè dictum. Crede mihi, *Jenchine*, ſi tu nunc grandis prætextatus in *Scholâ Wintonienſi*, inter Puerorum Greges ſederes, atque iſtoc modo *Verſiculos* ſcriberes, non *Scalpello* te, nè metuas, ſed flagris profectò ſtrenuè conſcinderent. Nimium fortaſſis diu hæremus in nugis; ſed ſic neceſſe eſt ei qui tua perſequi vult.

Poſtquam *Verſiculos* iſtos elaboratos quidem ſatis, parum tamen tornatos *recitaveras*, accedis ad aliud quod te maximè angere videtur: multa te de Scriptoribus aliquot Anglis deſumpſiſſe * monſtraveram; factum negare non potes, quereris modò quòd ‖ *Jenchinum qui in Commentario ſuo de mille & quadringentis paginis, ad quem numerum aſſurgit Liber, viginti forſan paginas teſtimoniis authorum replet, quos ſemper nominare pro re nullius momenti meritò judicabat, Plagiarii nomen meruiſſe dictitem.* Papæ! Quantus tu Scriptor es, *Jenchine*, qui in tanto tot paginarum Volumine, *viginti* ſolùm *paginas* prædatitias habes! Sed ſumas aliquantiſper calculos, tecúmque rem diligentiùs reputes; etenim longè plures fuiſſe arbitror. Ut fuerint autem *viginti*: Non tu ob iſtas poſſeſſoribus ſuis dolo malo ereptas *Plagiarii nomen meruiſti*? Si negaveris; tum mihi enuncies velim, Jurisconſultiſſime, quot demùm *Paginæ* auferendæ ſint, antequam quis *Plagium* feciſſe

* Vin. Cl. pag. 39. & *ſequent.* Reſponſ. p. 7.

‖ Refut. Sect. 5. p. 9, 10.

ciſſe dicatur? Sed de te propè fatentem habeo; ſuccenſes verò, méque iniquiſſimum putas, quòd non * *Hammondum* etiam ejuſdem criminis damnaverim. † Dixi pridem cur non fecerim. At mittamus jam iſtum. Quid tu tandem pro te? ‖ *Si pauliſper, mi Grovi, aliquid moræ Jenchino indulſeris, cui ab uno, vel altero Authore nonnulla exſcripta objicis, centum fortaſſis tibi, totique Mundo, Authores nominabit, quorum Dicta egregia, nominibus licet quandoque ſuppreſſis, Commentario ſuo inſeruit.* Ain' tu? *Centum!* tot igitur Authores depeculatus es? Certè non credideram; Olim tibi, ſi meminiſti, quatuor * oſtenderam, qui jure feciali res ſuas repeterent; de iſtis *Centum* tu nunc me omnium primus certiorem facis. Sint, ſi ità vis, vel mille; quàm verò *egregia* ex eorum Scriptis *Dicta* decerpſeris, non difficilis eſt conjectura; cùm in *Adamſio* ſi quid leve, tinnulum, & nullius pretii occurreret, illud ſtatim avidiſſimè arriperes. Quoniam autem te *Centum* illos nominare velle ais, *ſi pauliſper aliquid moræ tibi indulſerim*; ego, cui quicquam tibi negare permoleſtum eſt, multos nunc menſes ceſſo, ea, quæ pollicitus es, nomina impatienter expecto; ſed nondum exeunt; neque tu illa, ſi ſapias, unquam exire permiſeris. Sufficiat tibi quòd in quatuor jam deprehenſus fueris.

Nè verò ſolus *Plagiarii nomen meruiſſe* videaris, refers nobis quendam duas aliquando Conciones ad populum habuiſſe de *Commentario* tuo deſcriptas: & * *Nullus dubito*, inquis, *quin ſummas pro labore*

* Ibid.

† Reſponſ. pag. 8.

‖ Refut. Sect. 5. pag. 10.

* Reſponſ. pag. 7.

* Refut. pag. 10.

labore ſuo egregio, Laudes reportaverit. Certè quidem: te de *ſummis* hujus Viri *Laudibus* minimè *dubitare*, non miror, cùm ille, ſi tu verè dixeris, nihil penè attuliſſet, præter puros putos *Jenchiniſmos*. At præter hunc,† *Neque duos*, inquis, *alios de tuis æqualibus, à Plagiariorum labe penitùs immunes ſiſto, qui, ut ſatìs mihi compertum eſt, totum Jenchini Commentarium in Judam per ſingulas dominicas à Capite ad Calcem, in Concionibus Populo recitarunt; nonnullis (ni fallor) qui intererant, de Libro Jenchini quem præ manibus habebant, Plagium κατὰ πόδας non ſine riſu inſequentibus.* O! tenebriones furaciſſimos! qui *Commentarium* illud tam grande *de mille & quadringentis paginis, totum* tamen, quantum quantum fuerit, in publico *recitare* non ſunt veriti! Illi tuam, puto, rapacitatem ſuperarunt: Non enim *totum Adamſium*, non *Tailerum*, non *Sibſium*, *Brinſleium* ipſum vix *totum* deripueras: delectum quendam adhibebas; iiſque quæ magìs arriſerant, clanculùm convaſatis, cætera poſſeſſori legitimo reliquiſti. Illi te *totum per ſingulas dominicas à Capite ad Calcem recitârunt.* Sic ais, ſed non temerè credimus. Nam cùm illum alterum pro unicâ *Concione ſummas Laudes reportâſſe non dubites*; hi qui *totum Jenchinum* percurriſſe dicuntur, quantos plauſus, quantámque de ſe hominum admirationem concitâſſent! Quod cùm non ſit auditum, rem nobis prorſus incredibilem narras. *Centum* igitur iſtos tibi habeas; *duos* verò hoſce utinam nominâſſes, ut te falſi manifeſtò convincerem!

† Ibid.

cerem! Aut ut verus fueris, vide tamen quàm non immeritò hoc tibi infortunium acciderit. Vetus est verbum; *malè parta malè dilabuntur*: Tu aliorum Scripta compilaveras, alii tua.

Hactenus errores tuos aut maledicta persecutus nihil invenio quod non sit omnium risu dignissimum. Quoties de fastu isto, summóque animi tumore reliquísque, quæ in Scriptis hisce tuis elucent, virtutibus cogito; te sic quidem ad tuos Thrasonicè declamitantem videre videor. "Quo-
"usque tandem, Commilitones optimi, malè feri-
"atorum hominum audaciam impunitam esse pa-
* Celeus. pag. 3, 4. "tiemur? * *Biennium est, & quod excurrit, postquam*
"*prodiit adversus Jenchinum enerve quoddam & inane*
"*Scriptum, cui Titulus* [*Vindiciæ Cleri Conformis ab ini-*
"*qua Hæreseos imputatione*] *scriptum, inquam, inane*
"*& vacuum, non futilitatibus, & nugis canoris, craf-*
"*fisque mendaciis, quibus cumulatè plenum est, sed rebus*
"*bonæ frugis, authore vel, ut ferunt, quodam Grove,*
"*vel saltem homine ejusmodi à quo nomen illud non mul-*
"*tum abhorret, cùm totus videatur quantus quantus est,*
"*Idolis illis dicatus & consecratus, quæ author hujus*
"*Celeusmatis molitus est diruere. Porrò in hoc Codice*
"*triobolari author fronte ferreâ & perfrictâ*, multa
* Celeus. pag. 16. "de me indignissimè scripsit: * *Vah! more quam*
"*horrido & Hobbeano!* Quod verò me præcipuè
"urit, mihi per eum suavissimâ maledicendi vo-
"luptate perfrui non licuit. Sed dabit pœnas
* Ibid. in Titul. † Ibid. p. 21. "* *Literator putidus*, † *Ignorantiæ & impudentiæ an-*
"*tistes*: *Vah!* homulus iste pusillus & nihili me-
"cum

" cum ut contenderet miſer! Satìs jam diù hujus
" injurias perfero; mihi nunc certum eſt, coactis
" undique copiis, totis in eum viribus incumbe-
" re. Tu *Danſone Parallelorum* aciem quàm pri-
" mùm inſtruas, frontémque quantum potes, pro-
" tendas. Tu *Ludovice* adſis huc ocyùs cum aux-
" iliis nominis Latini: Vide nè abs latere meo
" quoquàm te dimoveas: nam mihi in hoc cer-
" tamine, tuâ virtute & induſtriâ maximè eſt opus.
" Ipſe adero cum *Celeuſmate* & ingenti *Clamore*;
" *Arcadiæ Pecuaria rudere credas.* Proculdubiò
" perterrebimus hominem, nullóque negotio in
" fugam vertemus. Primum noſtrorum inſultum
" & *Clamorem* ferre non poterit. Si verò victus
" quieſcere noluerit * *Improbus*, † *Ardelio*, ‖ *Scur-*
" *ra dicaciſſimus*, * *Aſino haud prorſus abſimilis*; tum
" quidem ego exercitûs *Celeuſmatici* reliquias denuò
" colligam; Imperatores enim optimi militem
" veteranum magìs probant. Deinde mihi ab
" *Wintoniâ* uſque evocabo *Viros duos doctos & fideles*,
" qui ſtent in inſidiis in *margine* uvidi & paluſtris
" loci; quíque ſimulac ſigna canere juſſero, de
" improviſo proſiliant cum larvis & Lemuribus.
" Ipſe poſtremò magno impetu incurram. cum
" *mille & quadringentis Paginis*, & expedita *Centum*
" *Authorum* manu, quorum *dicta egregia* jamdiu
" vendito pro meis. Tot igitur præſidiis firmati
" agamus ſtrenuè, Commilitones; * *Ignavum*
" hunc † *armis* tantum *plumbeis*, ‖ *calamóque obtuſo*
" inſtructum ſolo aſpectu profligabimus; atque

" tum

* Refutat, p. 6.
† Ibid. p. 4.
‖ Ibid. p. 27.
* Ibid.

* Refut. p. 9.
† Ib. p. 4.
‖ Ib. p. 30.

" tum ego laureâ insignis, vos spoliis ornati auctí-
" que domum cum laude revertemini. Sic tu mihi tuos ad prælium animare & hortari videris; quasi ad certum triumphum, non ad pugnam procederes. Caveas verò nè hostem per se satìs imbellem, contemptu nimio, & inani fiduciâ tibi tandem formidolosum feceris. Vel ut defuerit Adversarius, tuis te telis ipse conficeres: Etenim majori in Authorem impetu resiliunt, quæcunque in me jaculatus es convitia. Neque est quisquam, opinor, qui risum tenere possit, cùm videat hominem gloriabundum, seséque impotenter efferentem, pro se tamen nihil afferre, præter grande supercilium, & compositam quandam caperatæ frontis torvitatem.

Sed ego ad reliqua festino; Sunt autem ea præcipuè quatuor; Unum de *Dubitantibus*; de *Obedientia absoluta suppresso Conscientiæ dictamine* Alterum; Tertium de *Pacis adipiscendæ consilio*; Postremum de tuâ in *Parallelis* colligendis fide.

Quod hîc nobis primum occurrit; An *Dubitantes* Magistratus imperio parere teneantur? illud *ad præsentem Controversiam spectare* * negaveras; quod nunc etiam mordicus defendis; quia Vestri, ut tu quidem ais, *Ecclesiæ Anglicanæ ritus*, non modò *Dubios*, sed planè *illicitos* esse contendunt. Cúmque * monuissem te id ipsum ostendere debuisse; non facis: sed ‖ *Didoclavium* mihi, aliósq; objicis qui tibi videntur illud *satìs, supérque evicisse*; † *Quamobrem*, inquis, *pensum hoc mihi licèt perfacile, prorsus*

* Celeus. p. 8.

* Resp. p. 25.
‖ Refutat. Sect. 6. p. 22.
† Ibid.

prorſus ſupervacaneum duxi. Quàm fuerit hoc tibi *facile* nemo non videt, qui Scripta tua inſpexit unquam. At certè non intelligo, cur illud hîc omiſeris, quod te tam levi operâ conficere poſſe exiſtimâras; cùm præſertim non ignorares in eo poſitam eſſe totius Controverſiæ arcem: de quâ tu nos vi dejicere ſi potueris, de reliquâ ſtatione ultrò tibi cederemus. Si enim ritus hoſce, de quibus litigamus, *illicitos* eſſe conſtiterit, omnia veſtris in manus tradenda forent, neque eſſet ullus nunc relictus nobis de *Dubiis* diſputandi locus. Cùm itaque cætera omnia ex hoc uno manifeſtò pendeant, miror ſanè quidnam cauſæ fuerit, quòd *Penſum* iſtud *perfacile* non abſolveris. * *Quaſi*, inquis, *Non-Conformes plurimi ex poſſeſſionum ſuarum, imò ὅλου τοῦ βίου direptione, Cæteríque ex eorum grege doctiſſimi, in Scriptis ſuis, ut Didoclavius in Altari ſuo Damaſceno, Ameſius in erudito ſuo Tractatu, cujus hoc Lemma eſt,* **A Freſh Suit againſt Ceremonies,** *Bradſhawus, Gilleſpius, Barneſius, cum plurimis aliis ad quos, necdum ulla extat reſponſio, non ſatìs ſupérque evicerint, ritus Eccleſiæ Anglicanæ, Conſcientiæ & Judicii dictamini Non-Conformium repugnare.* Eſto: Concedimus hoc tibi haud illibentur; quia hominum pectora, intimóſque animorum ſenſus perſcrutari non poſſumus. Verùm ut *Ritus* noſtri *Non-Conformium Conſcientiæ repugnaverint*; niſi tamen eos Legi etiam Divinæ contrarios eſſe monſtratum fuerit; nihil eſt actum. Veſtros enim in eo graviter errare dicimus, quòd ea pro *illicitis* habeant,

* Ibid.

quæ

quæ non ſint. Neque puto eſſe quicquam aut in iis, quos nominâſti, Scriptoribus, aut in aliis quibuſcunque, quod quidem illud quod vis *evincere* videatur, cui non jam ſæpius reſponderint Noſtri: Aut ſi fuerit; cur non id nobis indicabas, cùm te monerem fieri, oportere, cúmque opportunum adeò eſſet, maximúmque cauſæ, quam ſuſceperas, firmamentum? Sed tibi forſan Religio eſt, aliquid de alienis operibus decerpere. O quàm tute nunc tibi diſſimilis es factus!

——— *Quantum mutatus ab illo*
Hectore, qui redit exuvias indutus Adamſi!

Quia toties in manifeſtiſſimo furto deprehenſus vapulâſti, agis aliquanto cautiùs quàm deceret. Tuta times; licita etiam, quæque eſſent tibi ſummè neceſſaria attrectare non audes. At aliud eſt; novi enim mores tuos. Si quid fortè inciderit, cui vires tuas impares eſſe perſentiſcis; non fateris; ſed ſimulas te omnia nullo negotio expedire poſſe; & ſimul aliquid comminiſceris cur non ſit neceſſe. Si * *Novatorum errores Argumentis expugnandi* fuerint: Torvùm intueris; utrumque ſupercilium minaciter adducis: *Quos ego!* ſed hoc * *foret actum agere.* Si Eccleſiæ Anglicanæ ritus *Illicitos* eſſe oſtendere oportuerit: Fecit hoc olim *Didoclavius*, *Ameſius*, alii; *Quamobrem penſum hoc mihi licet perfacile*, *prorſus ſupervacaneum duxi.* Atque ità onus, cui te ferendo non fuiſſe noveras, callid

* Celeuſ. pag. 23.

* Ibid.

callidè rejicis ; & tamen à ſolitâ tuâ gloriandi impotentiâ nuſquam recedis. Obſecro te, *Jenchine*, quid vis faciam ? Ego *Didoclavium* tuum, cæteróſque iſtos illud, quod tu contendis, *eviciſſe* non credo : *Evincas* igitur tu. Non faciam, inquis. Quare ? quia ad hos *necdum ulla extat reſponſio. Extat* profectò multiplex, rem ipſam, rationúmque momenta ſpectare ſi velis. Sentio autem quid moliaris : Propoſitum eſt tibi illud quod rei caput eſt non attingere, quamdiu ſupererit ſcriptorum veſtrorum aliquis quem tu ſomniaveris hoc ipſum præſtitiſſe, quod tibi jure meritóque præſtandum foret. Si verò poſtules iis ego ut reſpondeam ; laboris, otiíque mei nimium certè prodigus es, *Jenchine* ; mihi tecum res eſt ; tuam, ſi potero, vim repellam, ſi quid vel de tuo, vel aliorum penu depromptum attuleris, quod quidem aliquid ponderis habeat. Sed tu, opinor, ut omnia tibi undique auxilia conquiſieris, Eccleſiæ tamen noſtræ *Ritus illicitos* eſſe nunquam probabis. Expecto autem ſi quid fortè attentaveris.

At veniamus nunc intereà ad *Dubia* ; de quibus tu * *Quæſtionem non inſtituendam eſſe* putas. Mihi verò te iſtud ſic ſentire mirum eſt, cùm Veſtri nullâ de re libentiùs diſputare ſoleant : Illud de quo *dubitaveris* neutiquam faciendum eſſe aiunt, etiamſi Magiſtratus millies juſſerit ; atque in eo conſtantiſſimè hærent. Oſtendere enim ea, de quibus contenditur, eſſe divinis legibus

* Refut. pag. 12.

contraria, maximè laborioſum atque aleæ plenum opus eſt; hominum verò animos ancipiti cogitatione ſuſpendere facillimum. Sed quamvis hunc de *Dubiis* locum ab illâ, quæ nobis vobiſcum eſt, lite alienum eſſe credideris, tu tamen homo commodus, & aliorum votis obſequens, * *Ut*, inquis, *morem adverſariis aliquantiſper gererem, Argumenta nonnulla attuli quibus probavi, prorſus eſſe illicitum, Conſcientiâ dubitante Magiſtratui Conformitatem jubenti obſequium exhibere. Palmaria duo noſtra Argumenta quæ Celeuſmatis* pag. 12, & 13. *produxi, tranſilit, tranſvolátque Grovius.* O quantâ feſtinatione profûgit è prælio *Ignavus* iſte! At ego tua omnia ſatìs diligenter inſecutus ſum, *Jenchine*; nihil eorum quæ attuleras prætermiſi, quod ad Cauſam hanc quoquo modo pertinere videretur. Unum autem erat de quo te † ſæpius monere neceſſe habui: Ab eo quod quærebatur, ſemper aberrabas; cùm de *Dubiis* agendum eſſet, tu de *Illicitis* tantùm diſputabas. Eſt hoc certè vel imperitè admodum, vel fallaciter factum. Sed quo tandem pacto crimen iſtud tuum excuſare conaris? ‖ *Equidem ego*, inquis, *de obedientia in utriſque diſputo.* Sed cur *in utriſque*, cùm nullum nobis eſſet niſi de *Dubiis* certamen? Aut ſi tibi ſic erat libitum, cur de *Illicitis*, in quibus nos aſſentientes habes, plurima; de *Dubiis*, de quibus ſola lis erat, nihil propè diſſerebas? Imò cur ea confundis ac perturbas, quæ ſejungere ac ſeparare debueras?

* Ibid.

† Reſp. p. 28. bis. p. 30, 31. 35. 43, 44.

‖ Refut. p. 13.

cur

cur ſic dolosè nobiſcum agis, ut cùm eſſet tibi de *Dubiis* inſtitutus ſermo, nunquam non in *Illicitis* deſineret? Si tecum *de utriſque*, ut ais, diſputare ſtatuiſſes, quod neceſſe non erat; diſtinctè tamen atque certo ordine progrediendum fuiſſet; ſic ut alterutro primùm abſoluto, ad illud quod eſſet reliquum ſuo tempore accederes. Omnia verò permiſcere, atque aliud cum alio confundere, quod tu ubique feceras, longè profectò turpiſſimum eſt, & in homine docto minimè ferendum.

Ut itaque hoc vitium, quod tibi oſtenderam, aliquando vitares, viſum eſt tibi nunc rem omnem ſic partiri, & in ſua membra tribuere: * *Quod præſtatur, ſi ſit præſtanti dubium,* 1. *Primò ſemper eſt illicitum quoad præſtantis Officium.* 2. *Sæpenumerò eſt in ſe quoque illicitum.* Atque tum paucula de tuis præclarè factis prælocutus, ad utrumque Diviſionis membrum fuſiùs explicandum rectà pergis: † *Quod ſpectat ad primum; in Celeuſmate probavi perinde illicitum eſſe, Magiſtratui obtemperare in dubiis ac in ipſis in ſe illicitis; quoniam obedientia in dubiis, ſive conſcientia dubitante; præſtita æquè contra ſcripturam pugnat, ac obedientia in illicitis, videſis argumentum ex* Rom. 14. 5, 23. *depromptum. Unuſquiſque in animo ſuo plenè certus eſto; qui dubitat circa eſum ciborum, omnino eſt Damnationis reus, ſi comederit. Quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt.* Locum hunc, cui Veſtri plurimùm fidunt, cùm tu primùm adduceres, ‖ videbaris mihi tum atque

* Ibid.

† Ibid.

‖ Reſp. p. 31.

nunc etiam videris, in hoc uno ad id de quo agendum erat aliquantulùm attendisse; in reliquis enim ab eo quod probandum fuerat, semper quàm longissimè abieras. Hîc itaque rem à te satìs involutam breviter * explicare conatus sum.

* Ibid. p. 44.

† Refut. pag. 14. Quid tu contrà? † *Quibus*, inquis, *Scripturis vice responsionis, meram principii petitionem exhibes, hisce nempe verbis. In culpa est qui id, de quo dubitat, facit; nisi facere jubeat, qui jubendi potestatem habet.* Rectè ais, illud certè dixeram: sed prius Nostrorum sententiam argumentis aliquot muniveram, ex *Sandersono* maximam partem petitis; quia hujus te authoritate protegebas. Tum rem omnem pauciſſimis expositam brevi oratione concludebam; & *Ex his*, inquiebam, *quæ nunc strictim attigi satìs apparet, quid ad id quod nobis ex sacra scriptura objeceras respondendum sit.* Tum illud continuò adjeci; quod tu solùm Lectoribus tuis ostendis; quasi aliud nihil dictum foret. Nullam ex eo Sermone, cui illud consequens erat, clausulam vellicare quidem ausus es; & tamen insultans clamas me hîc *meram principii petitionem exhibere*. At non *petit principium*, O Bone, qui sua quæ initio erant posita, argumentis rationibúsque confirmata defendit. Sed hæc, quia leviora sunt, prætereo.

‖ Ibid. Tu adhuc mihi etiam graviùs instas: ‖ *Quo glossemate, profanam tuam, sacras scripturas evirandi licentiam, satìs supérque detegis. Proferas obsecro, Expositorem vel unum, qui locum hunc Paulinum, in sensum*

ſum tuum impium auſus eſt diſtorquere. Hæc à te, ut alia multa, nimis temerè dici videntur. Non eſt *profanum, Jenchine*, non eſt *impium* id de quo ambigitur, explicare, ſuíſque quaſi terminis circumſcribere, atque oſtendere quo quidque ſenſu capi debeat. Aut ſi dixeris; vide quàm facilè iſtæc in te cudatur faba. Præcepit ſæpè Deus ut parentibus, ut Magiſtratibus pareamus: Imò, inquis, niſi ii, quibus hoc præceptum eſt, de eo quod imperatum fuerat, *dubitaverint.* Hîc ego te imitari ſi vellem, contra *ſenſum tuum impium*, atque (ut audaci ſatìs, tuâ tamen Metaphorâ utar) contra *profanam Scripturas evirandi licentiam* altiſſimâ voce inclamarem. Sed tuis veſtigiis inſiſtere non placet. Quoniam verò poſtulas, ut *vel unum expoſitorem proferam* qui in loco hoc enucleando mecum ſentiat; accipio haud gravatè conditionem; neque *unum* modo hîc apponam, ſed complures, eóſque ſummæ authoritatis Interpretes. *Chryſoſtomus* ſanè, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, atque antiquorum alii Noſtrorum ſententiam ſatìs apertè tuentur. Aiunt enim ea, quæ tu pro te facere putas, non eſſe * *Univerſaliter* & de omnibus accipienda, ſed de

* Μη τοίνυν εἰς πάντα ἕλκωμεν, τὸ ἕκαστος τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Chryſoſt. in Rom. 14. 5. Ἀδιάφορον τὸ πρᾶγμα. Id. ibid. Ταῦτα δὲ πάντα περὶ τῆς προκειμένης ὑποθέσεως εἴρηται τῷ Παύλῳ, οὐ περὶ πάντων. Id. in v. 23. οὐ καθολικῶς τοῦτο τέθεικεν— περὶ μόνων τοίνυν ἐδεσμάτων τῇ ἑκάστου διανοίᾳ τὴν ἐξουσίαν ἀπένειμε. Theodoret. Ἔνθα δὲ περὶ βρωμάτων καὶ νηστείας ὁ λόγος ἦν, καὶ τῶν τοιούτων, καὶ οἱ πταίοντες περὶ ταῦτα νεόφυτοι, καὶ συνκαταβάσεως δεόμενοι, ἐνταῦθα τῆς ἀκριβείας ἐνδοτέον. Theophylact. Ἰδικῶς ἐκληπτέον— οὐ γὰρ περὶ πάντα ὁ κανὼν οὗτος διήκει, ἀλλ' ὡς ἔφημεν ἰδικός ἐστιν, ἐπὶ τούτου μόνον καὶ τῶν ὁμοίων περιλαμβανόμενος. Oecumen. *De jejunio & abſtinentia dicit, quæ non ſunt ſub certo modo legis redacta.* Comment. in Epiſt. Paul. apud Hieron. *In tali cauſa duntaxat.* Primaſ.

iis

iis tantùm de quibus tum disceptabant inter se intelligi debere, aut de *similibus* indifferentia quidem quæ essent: Atque in his etiam Apostolum eorum infirmitati aliquid indulgenter *concessisse*, neque omnia quæ contra *Dubitantes* istos dicenda forent, protulisse, quia * *opportunum* tunc non erat: Nam cùm illi nuper ex religione *Judaicà* ad Fidem transiissent; inveteratum mentis errorem, eámque quam de ritibus *Mosaicis* opinionem conceperant, citò deponere non poterant. Si itaque eos propter hanc animi incertitudinem severiùs increpuisset, metuendum erat, nè hâc reprehendendi libertate offensi, à pietate Christianâ † *deficerent*, & in antiquam denuò superstitionem relaberentur. Docent præterea illam in *Dubiis* veniam faciendi quod videretur, ad *tempus* tantùm datum esse, & quicquid tum quorundam imbecillitati donatum fuerit, nunc tamen ‖ *damnandos* esse vel maximè, quicunque *Judaico more* ciborum discrimina observaverint: Idem enim *Paulus*, cùm ad alios in Fide jam stabiles & firmatos scriberet, his ipsis in rebus, unicuique quod ipsi persuasum foret, sentire & facere non permisit; quod hîc pro *temporis necessitate* largitus fuerat. Ad hunc propè modum Illi: quorum sententiam sic fermè paucis complexus est *Isodorus Clarius*: * *Unicuique sua mens*

* Διὰ τὸ νεήλυδας εἶναι ἐν τῇ πίστει. Chrysost. ἐκ μὲν τῶν καιρὸς τὰ τοιαῦτα διορθοῦν. Id. Συγκαταβαίνων ἐπειδὴ ἀρτιπαγεῖς ἦσαν ἐν τῇ πίστει οἱ Ῥωμαῖοι. Oecumen. Ἐκεῖνον μὲν οὐ δεῖ καλακεύειν διὰ καιρὸν ὅτι ἀρχῇ τοῦ κηρύγματος ἦν. Id.

† Φοβέμαι μή πως ὀλιγοθυμήσαντες, τέλειον ἀποσταλῶσι τῆς πίστεως. Id.

‖ Τί ἔν; ἂν ἴδωμαι νῦν τοῖς τὰ βρώματα Ἰουδαϊκῶς παρατηρέμενους, οὐ μὴ καλακεύσωμαι; καὶ μάλιστά γε. Id.

Colossi. 2. 16. vid. Chrysost. ubi sup.

* Clar. in Rom. 14. 5.

mens ſatisfaciat in hiſce rebus. Quæ verba non generatim de quavis re accipienda ſunt, ſed ubi nihil aut parum refert hoc an illud facias. Demittit ſe Paulus ad hos propterea quòd Novitii erant in fide, nè nimiis reprehenſionibus irritarentur, & reſilirent. Tu Authores ſuprà laudatos ſi evolveris, *Jenchine*, plura reperies, quæ meam, ut mihi quidem videtur, *ſententiam* ſuffulciant, quod verò tuam confirmet nihil. De Magiſtratu certè expreſsè non meminerunt, ſed vides, opinor, ex iis quæ mihi jam notata ſunt, quid fuiſſent dicturi, ſi quenquam eâ perverſitate fore credidiſſent, ut propter quodvis *Dubium* de re non magnâ ſubortum, omnem Legum reverentiam, Principúmque authoritatem negligi & violari debere contenderet. Cùm enim Apoſtolum hîc nonnihil Infirmioribus indulſiſſe dicant, donec illi de rerum veritate pleniùs edoceri potuerint; hoc profectò non agunt, ut quod nonnullorum tum imbecillitati aliquandiu conceſſum fuerat, aliorum in omne ævum corroboraret audaciam; neque ut illud quod eſt ad naſcentis olim Eccleſiæ commodum & ſtabilimen prudenter adhibitum, in ſeneſcentis jam perniciem & ruinam verteretur. Quod neceſſe eſt fieri, ſi liceat de iiſdem ſemper *dubitare*, & præcepta inſtitutáque Majorum nullam contra *Dubitantes* vim habere dicantur. Fruſtrà ſanè in ſocietatem coiremus, fruſtrà conderentur Leges, ſi eæ nihil valere putandæ ſint, quamdiu erunt homines qui aut reverà *dubitent*, aut, quod nobis

qui

qui eorum animos introſpicere non poſſumus, perinde eſt, qui ſe de re qualibet paululum quid *addubitare* fingant. Ut itaque rudioribus aliquantulum moræ concedendum fuerit, quod indagandæ veritati ſatìs eſſe poſſit; non tamen ferendi erunt ii, quibus ætatem integram in *dubitando* conſumere propoſitum eſt. Qui enim hunc animi morbum ſtudiosè alunt, fovéntque, neque ullum *Dubiorum* finem facere volunt; ut ſi diſplicuerit Lex, eâ ſe non teneri exiſtiment; non infirmi quidem illi, ſed haud immeritò ſuperbi & contumaces videri debent: Hos autem tu Legum nexu ſolvendos eſſe non dixeris. At cavendum eſt ſedulò nè dum *Dubitantibus* nimium licere vis, ſceleratorum pervicaciæ latam ſatìs feneſtram patefeceris. Antiqui Infirmis aliquid pro rerum ſtatu, temporúmque conditione permittendum putabant; ut illi meliùs erudirentur, non ut infirmitate ſuâ confiſi Magiſtratuum imperia pro nihilo haberent. Res enim quæ *Dubiæ* tum erant, atque in quibus unicuique permiſſum eſt mentis ſuæ judicio obſequi, *Indifferentes* tantùm fuiſſe dicunt; utì eſt illud de Ciborum delectu, & jejunandi more, & quæ ſunt generis ejuſdem. Duobus autem propoſitis, quorum unum neceſſariò faciendum ſit; quamvis de altero *dubitemus*, non licet tamen alterum pro arbitratu noſtro eligere, niſi utrumque pariter *Indifferens* fuerit. Nam ſi hoc non Vetitum, illud verò certâ lege præceptum eſſe contingat;

compa-

comparatione tum facta, quod eſt præceptum plus valere debet eo quod non eſt vetitum. Ut ſi de præſcripta Precationis formulâ quæreretur; non prohibuit Deus, jubent Leges; faciendum eſt igitur; quia clariſſimum eſt de ſuperioribus obediendo præceptum. At *dubito*, inquis, de Formulâ: quid itaq; nunc me facere oportet? Quid niſi ut pareas, atq; illud quod eſt certiſſimum, ei quod *dubium* eſt anteponas? Hanc fuiſſe Antiquorum ſententiam colligi poteſt, cùm conceſſam Infirmis veniam neq; ſemper, neq; in omnibus locum habere crediderint.

Si tibi Recentiores potius adire placuerit, nihilo magìs proficies; eos etiam his aſſentiri videbis. *Calvinus*, * *Tenenda eſt*, inquit, *quam nunc tractat, hypotheſis: quia enim multi ex Judæis adhuc in Legis umbris hærebant, fatetur quidem hoc in illis eſſe vitioſum, ſed ad Tempus veniam dari poſtulat: quia duriùs ipſos urgere, fuiſſet labefactare eorum fidem.* *Beza*, *Piſcator*, aliiq; omnes, puto, hos quos addûxti, locos de rebus *mediis* & *indifferentibus* tantùm intelligi volunt. *Nicolaus* certè *Zegerus* ea hîc habet, quæ noſtrorum placitum apertiſſimè confirmant; etenim † *Quilibet*, inquit, *ſuo relinquitur conſilio; quando conſtat utrumq; vacare crimine, neutrúmq; juſtâ eſſe reprehenſione dignum. Qui enim diem ſapit, ſentitq; obſervandum, Domini ob gloriam id facere creditur. Nemo tamen hîc putet Apoſtolum iis patrocinari qui nullas obſervandas ferias, nulláq; obſervanda jejunia contendunt, cùm id non ex præcepto legis Moſaicæ, ſed ex Ec-*

* Calvin. in Rom. 14.

† Zeger. in Rom. 14. 5.

cleſiæ inſtituto faciamus, cui idem Apoſtolus nos jubet eſſe dicto audientes. Nihil dici potuit, quod cum *ſenſu* meo *impio*, quem vocas, magis congrueret. Facilè eſſet his alios benè multos adjungere, ſed non eſt neceſſe ; Habes enim non *unum*, quod ſolùm petiveras, ſed plures etiam *Expoſitores* qui mecum hîc planè conveniunt ; at ex omni turbâ, neminem eſſe arbitror, qui tecum ſentiat.

Videamus autem quo tu modo noſtram hoc de loco ſententiam oppugnatum iveris. Et inſolenter ſatis, ut plerumq; * *Futilem*, inquis, *hanc tuam reſponſionem nullius eſſe momenti probavi*, Celeuſ. p. 12. *hiſce ſcilicet verbis. Neq; Apoſtolo reſponderi poteſt hâc exceptione ſubjunctâ, nempe comedentem ſi dubitaverit Damnationis periculum incurrere, niſi Magiſtratus comedendi mandatum dederit ; nam hacce ſemel admiſſâ exceptione, facilè eſt Præcepta quæq; Divina eludere, & rem quamcunq; inter licitas recenſere. Neq; enim ulla poteſt reddi ratio, cur id quod uno in loco Deus prohibet, cum hâc exceptione intelligi debeat, & non utiq; quod prohibet in alio.* Paucis deinde, quæ in *Celeuſmate* ſequebantur, adjectis, *De hac*, inquis, *Pericope, altum ſilentium in tuâ reſponſione, omnibus innoteſcit.* Non *omnibus*, credo, & ſingulis ; noſti enim tu, me, cùm hæc primùm excuterem, illud quidem annotâſſe, te relictis *Dubiis*, delapſum eſſe † *ad id quod Deus prohibet* ; quod cùm ad controverſiam minimè ſpectâſſe monuerim ; clarum eſt te nihil hîc repetiſſe cui non ſatis jampridem reſponderim. Sed quoniam tibi non videtur,

* Refut. Sect. 6. p. 14.

† Reſponſ. pag. 44.

tur, manifeſtiùs nunc oſtendam, quàm turpiter hallucinatus fueris. Illud utiq; probandum ſuſceperas, non eſſe *Magiſtratui in Dubiis obediendum*: Id ex eo conſtare putas, Quòd *qui dubitaverit circa eſum ciborum, omnino ſit damnationis reus*, ut tu loqueris, *ſi comederit*. Sentis quid hîc reponi poſſit, & ſoleat: Non eſſe faciendum de quo *dubites*, niſi juſſerit Magiſtratus. Sic itaq; occurris. *Nulla poteſt reddi ratio, cur id quod uno in loco Deus prohibet, cum hâc exceptione intelligi debeat, & non utiq; quod prohibet in alio.* Rectè quidem, ſed parum ad rem: de *Dubiis* agitur, non de his quæ *Deus prohibet*; de quibus nulla mihi tecum controverſia erat. Si verò *Id quod Deus prohibet*, ſic accipi velis, ut omne *Dubium* à Deo ſimpliciter *prohibitum* eſſe dicas; pro conceſſo ſumis quod tibi probandum fuerat; atq; ita vel à quæſtione quàm longiſſimè digrederis, quod à te ſæpe factum eſſe monueram; vel apertè *Principium petis*, quod te hîc falsò mihi objeciſſe ſuprà monſtratum eſt. Cùm argumentum illud primùm orſus eſſes, viſus mihi es ad rem ſolito propiùs accedere, ſed paululum modò progreſſus, divertis aliò, & mera nobis ſophiſmata, & captiunculas nectis. Quicquid ſit, non video quid tandem adjumenti cauſæ tuæ locus hîc afferre poſſit. Si enim, ut tu vis, ſemper peccat quicunq; *dubitans* aliquid facit; peccat igitur qui Magiſtratui *dubitans* reſiſtit, non minus quàm qui *dubitans* paret. Noſtri itaq; ſuadent, ut qui *dubio* ſunt animo, ob-

temperent potiùs; quia hoc tutius esse credunt: Tu contrà, iis author es ut constanter obsistant; nullâ de causâ, quod sciam, nisi quòd illud instituto tuo accommodatius videatur. Sed de his plura jam forsan quàm oportuit.

* Refut. pag. 14. Tu sic pergis: * *Quod ad secundum spectat*, Celeusmatis, p. 13. *hoc quoq; subjunxi quod exceptionem tuam prorsus refellit. Si Magistratui in rebus dubiis licitum est obtemperare, ubi scilicet subesse potest peccatum, quodnam illud demum sit, quod obedientiam nostram æquam & justam præstet, ubi imperata cum lege Divinâ pugnant?* Nihil prorsus. His igitur frustrà attexuntur cætera, me enim non feriunt; qui nunquam crediderim, † *Cujuspiam præceptum aliquid posse reddere licitum, quod lex divina illicitum statuit.* Postquam autem hæc & alia quædam eodem pertinentia, atq; ex *Celeusmate* desumpta apposueras, illud demum, neq; plura, adjicis: ‖ *Sed totam hanc Pericopen (mi Grovi) præteris.* Ego verò non *præterii, Jenchine*: multa eorum quæ hîc affers, ut à te erant scripta ad verbum * recitavi; quædam laudavi etiam; quod libenter facio, quoties tibi aliquid paulò tolerabilius excidit. Et tamen hæc me omnia *præteriisse* fingis; quod quidem à te tam affirmatè dici mirarer, nisi notissima mihi esset frons, fidésq; tua. Sed fac verum esse illud, quod tu tamen commentus es; mihi sanè nihil indè incommodi accideret, ut ista *præterierim* omnia; quia, ut sæpe dixi, de *Dubiis* agendum erat tibi, tu verò, more tuo, de *Illicitis* tantùm disputa-

† Ibid. p. 15.

‖ Ibid.

* Respons. p. 29, 30.

putabas. Verùm ut locum hunc aliquando finiamus, noſtris ferè ſic videtur; indulgendum eſſe Infirmioribus aliquantulum, dandum aliquod deliberandi ſpacium, monendos eſſe, atq; inſtituendos amicè; ut depoſitâ, quæ ipſos torquet, animi ſolicitudine, veritatis ipſius vim clariùs perſpiciant. Quodſi poſt iſta quoq; *dubitaverint*, neq; adhuc quid ſui ſit officii plenè intellexerint; nihilo tamen minùs legibus eos teneri dicimus. Neq; enim putandum eſt Principum imperia, quibus nos Deus ſubjici voluit, omnem ſtatim obligandi vigorem, injecto quovis levi ſcrupulo, amittere debere. De his antehac, quantum ſatìs erat, * diſſerueram; tu nihil eorum quæ tunc ex *Auguſtino*, *Bernardo*, *Sanderſono* attuleram, quæq; ipſe adjeceram, nè leviter quidem attingis; nonnulla tantùm de *Celeuſmate* decerpta in medium affers; quibus cùm olim reſpondiſſem, de iis plura nunc dici non erat opus. Sed quoniam Veſtri de reliquâ argumentorum mole depulſi, ad *Dubia* plerumq; divertunt, atq; in iis ſibi perfugium quærunt, aliquot Interpretum teſtimonia collegi; ut cum rationum momentis cedere nolueris, horum te, quos tibi arbitros dari poſcebas, authoritate vinci haud ægrè patereris. De iſtis autem ſatìs jam multa.

* Reſponſ. pag. 27. & ſeqq.

Pergamus igitur ad illud, quod nobis ſecundum erat, *De Obedientia abſoluta, ſuppreſſo Conſcientiæ dictamine.* Atq; de eâ ſic tu: † *In Celeuſ. hæc habentur verba, ſenſa ſunt nonnullorum quòd qui tam acri-*

† Refutat. Sect. 7. p. 15.

ter

ter nobis imminent ut Dominis noſtris auſcultemus in dubiis, id etiam velint ut illis obedientiâ abſolutâ nomine ſolo eorum authoritatis, ſuppreſſo conſcientiæ dictamine, obtemperemus. Qui aliorum ſcripta ſemper ferè pervertis, tua hîc aliquantulum immutâſti. Hæc enim paulò aliter dixeras; non *ſuppreſſo conſcientiæ dictamine*, ſed * *utut contra conſcientiam repugnantem.* Et tum poſtea adversùs eos diſputabas, qui *Magiſtratui obediendum* eſſe dicerent, † *ſuppreſſo judicii privati examine, & contra conſcientiæ dictamen.* At tu, qui omnia tibi licere putas, non es auſus tamen affirmare, iſta tam impia, atq; ab omni ratione aliena à noſtris doceri, ac defendi; ſed ſic de nobis ſuſpicari, & exiſtimare *nonnullos.* Illud verò nullâ noſtrorum culpâ fit, ſi qui fortè Chriſtianæ charitatis expertes, de iis temerè, iniquè, malitiosè judicaverint. Iſta certè, quæ hîc repetis, injuriâ nobis tribui ‖ oſtenderam olim, cùm *Celeuſma* tuum diſcuterem. Ut autem pateat unde hanc calumniandi anſam arripueris; declarabo quidem paucis, quatenus ſuperiorum mandata *examinare*, quantúmq; in his privatorum *judicio* concedi oporteat. Atque hîc imprimis animadverti debet, nos in præſenti controverſiâ de iis tantùm agere, quæ ad externum Religioſi cultus *decorem*, atq; *ordinem* ſpectant. Quæ cùm non ſint omnia in ſacro codice ſigillatim perſcripta, ab iis curari & terminari debent, qui in Eccleſia Réq; publicâ Chriſtianâ poteſtatem habent. Horum igitur eſt *judicare* & ſtatuere de his quæ ad externi cultûs

* Celeuſm. pag. 16.

† Ib. p. 17.

‖ Reſponſ. pag. 29. & ſeqq.

cultûs *decorem* pertinent. Illud enim privatis permitti si velis, sacrorum *ordinem* turbari, omniáq; tumultibus permisceri necesse est. Contrà autem quoniam Privatis etiam summoperè cavendum est, nè quid adversùs ipsius Dei præcepta peccent, cùm superiorum jussis obsequuntur; iis ideò Majorum imperia eousq; perpendenda atq; excutienda sunt, quoad videant ea quæ præcipiuntur, non esse divinis legibus contraria. Unde constat manifestò quid de his statuendum sit, quæ tu hîc de nostrorum scriptis iterum recitas; quanquam ad ea etiam satis fuerat antè responsum *. In hoc enim genere universo sic definiendum videtur, ut de rerum cum supremi Numinis voluntate repugnantiâ Privatos, de *Decore* Magistratûs, eósque qui publici cultûs administrandi jus habent, *judicare* debere dicamus. Ità ut si quid ab his præceptum fuerit, quod est à Deo *prohibitum*, non sit faciendum; si quid, quod alicui minùs *Decorum* videatur, aut fortè sit, in eo parendum sit tamen; cùm quicquid hîc erratum fuerit, eos tantùm teneat, ad quos externi *Decôris Judicium* pertinere diximus: Privatî verò summo se scelere obstringerent, si propter rem leviculam, eámq; de quâ sententiam decretoriam ferre non possunt, instituta legésq; Majorum contempserint, Ecclesiæq; pacem & tranquillitatem perturbaverint. Vides quo illud modo intelligendum sit, quod ex *Parkero*, *Longóq*; * toties reponis: *Tutius est errare cum Dominis, quàm rectè sentire contra eos.* Idem de reliquis dictum puta.

* Responſ. pag. 88. & ſeqq.

* In Celeuſ. & Recuſat.

Sed

† Refurat. pag. 16. Sed ais me † *Negare hæc verba, ſcilicet, Magiſtratus eſt ea poteſtate indutus, quæ regat ſubditorum conſcientias in negotio Religionis, à Parkero fuiſſe edita.* At non profectò negabam; ſed cùm ea in illo quem deſignaveras loco non invenirem, à te, ut alia multa, ‖ *ficta* fuiſſe arbitrabar. Tu verò *Conſcientiam* meam inclamans, & neſcio quid ridiculum de *Conſpicillis* adjiciens, mones nunc ut *Decimam Parkeri paginam* inſpiciam, cum priùs nos remiſiſſes ad * *Decimum ſupra Centeſimam.* Sed erravit forſan Typographus. Fateor; ſcripta ſunt iſta. At nihil à me de iis eſt dictum? † *Nihil,* inquis, *præterea in ſubſidium Parkeri profers, quàm quæ ſequuntur ineptiſſima. Nempe cùm Parkerus aſſerit Magiſtratum eſſe poteſtate indutum regendi ſubditorum Conſcientias in negotio Religionis, & eos obligandi ad illam Religionem quam judicat ad pacem publicam, & tranquillitatem conferre, &c. Parkerum ubiq; egiſſe de rebus indifferentibus (ſcilicet Cæremoniis:)* Et erat veriſſimum, & illud te ‖ *ſcire* dixeram; neq; ignorare potuit quiſquam, qui hujus librum vel ſemel inſpexerat. Tu autem ſic pergis: * *Quæ verba à te prolata in gratiam unius Parkeri, omnium Conformiſtarum cauſæ vulnus infligunt inſanabile*: Quid ego amens feci? Arma imprudens converti in meos. *Inſanabile*! O! caſum planè deplorandum! Iis ſanè minus nocuiſſent aliquot *Jenchinorum* millia. Sed audiamus cætera: † *Et apertè proinde indicant craſſiſſimam tuam inſcitiam.* Nihil moror: meâ tu fruaris *inſcitiâ*, & ad rem tuam accommodes;

‖ Reſp. pag. 87.

* Ec. Pol. p. 110. Celeuſ. p. 16. in margin.

† Refutat. p. 17.

‖ Reſponſ. pag. 89.

* Refut. ibid.

† Ibid.

des; non repugno. Sed oro te, *Jenchine*, pro ſolitâ tuâ humanitate, oſtendas mihi quonam meo ſive fato, ſive infortunio, *vulnus* iſtud *inſanabile inflixerim*; nondum enim intelligo. Ohe! inquis, tu nimis es tardus, atque * *Aſino haud prorſus abſimilis*, qui illud non vides; nihil eſt eo clarius. † *Nam Argumentum palmarium quo cauſam ſuam Non-Conformes ſtabilire, veſtrámque diruere ſolent, tu nobis abundè hâc tuâ aſſertione dediſti ſtabilitum, concedendo*: Quid? *Concedendo Parkerum ubique egiſſe de rebus indifferentibus*? Minimè verò: Sed *Concedendo ſcilicet, Cæremonias veſtras Religioſas eſſe, & cultûs ſive Religionis partes.* Aliqua mihi nunc ſpes affulget non eſſe verum illud luctuoſum & lachrymabile, quod de *inſanabili vulnere* modò narrabas. Nihil enim ego, nihil *Parkerus* de *Religionis partibus* dixerat; de his à te hîc primùm injecta eſt mentio: cúmque illud cauſæ tuæ profuturum videretur, miras à nobis fabellas agi ſomnias, & in vacuo Theatro ſolus ſedens, totos dies tibi plaudis. Mihíque etiam gratulatus eſſes, quòd ad Veſtros tranſierim, * *Si quid indè vobis vel gloriæ vel ſubſidii accreſceret.* Facias tu, quod videbitur; ego nondum in ea Caſtra transfûgi; neque te quid illûc pertraxerit, ſcio. Sed ‖ *ingenuè*, inquis, *fateor me hoc Argumento potiſſimùm fuiſſe inductum, ut ad Non-Conformes me aggregarem, quia ſcilicet Cæremonias veſtras Religionis eſſe partes ab hominibus fabricatas, mecum ſtatuebam, quas à ſolo Deo inſtituendas eſſe obſirmatè credunt omnes Proteſtantes eruditi.* Vel tu homo leviſſimus

* Ibid. p. 27.

† Ib. p. 17.

‖ Ibid. p. 17, 18.

viſſimus es, *Jenchine*, vel ad turbas concitandas nimium propenſus, qui te de noſtrorum cœtu ſubduxeris, non ob aliud quàm quod ipſe tibi finxeras, quódque nos tecum pariter damnamus. Omnes enim *Religionis partes à ſolo Deo inſtituendas eſſe credimus.* Cùm itaque hanc diffugiendi cauſam non habueris, redeas oportet ad nos; quod ſi faceres, ex animo certè gauderem; non ut tu, qui ad vos venientibus *gratias* non *habes*, niſi tuis aliquid vel *gloriæ* ſecum, vel *ſubſidii* apportent. Nos autem *gloriam* non quærimus, *ſubſidii* quantum ſatìs eſt, habemus; at tui ſolius, publicæque quietis gratiâ illud nobis lætiſſimum eveniret, ſi te perverſitatis tuæ aliquando pœniteret; ſi in noſtros meliùs animatus eſſes, Eccleſiámque hanc ſubruere tandem, ac labefactare deſineres. Atque ut hâc de re nobiſcum ampliùs non litiges; nobis quidem *Religio* omnis interno mentis affectu, piâque Summi Numinis veneratione contineri videtur; quæ cùm in animo ſolo reſideat, quibuſdam tamen actionibus declarari atque exprimi debet. Has autem non tam *Religionis partes*, quàm quædam ejus indicia, ac teſtimonia putamus. Atque eas tu non *Religionis*, magìs quàm veſtem hominis, aut corpus animæ, aut vocem rationis *partem* dixeris. Quæcunque veræ pietatis teſtificandæ causâ fiunt, eámque ornant, illuſtrant, ſignificant, aut quodammodo comitantur; ea omnia *Externi* Cultûs nomine indicari ſolent. Atque hujus *partes*, quia non ſunt omnes

à *Deo*

à *Deo inſtitutæ*, ab hominibus inſtitui & ordinari poſſe arbitramur. Si quis eas Cæremonias, aut Circumſtantias potiùs quàm *partes* dici voluerit, non recuſo; de reipsâ ſi conſtiterit, de vocibus, utì tu, non altercabimur. In rebus itaque ad *Religionem extrinſecùs* ſpectantibus, quæ cum Lege Divinâ non pugnant, Superiorum authoritati plurimum tribuimus; in ipſam verò *Religionem*, quæ in hominum mentes tota abditur, nemini mortalium quicquam omninò juris concedimus. Illud ſoli Deo reſervandum eſt, cui nihil occultum, nihil abſconditum eſſe poteſt; qui Corda ſcrutatur, intimóſque omnium animorum ſenſus æterno intuitu perſpicit. Sic nos iſta. Sed ut eò revertar unde hæc ſunt orta; cùm dixiſſem modò *Parkerum de rebus indifferentibus egiſſe*, miror ſanè, quo tu pacto iſtud de *Religionis partibus* hinc extricaveris, cùm nullam ego *Religionis partem indifferentem* putaverim, neq; quiſquam, opinor; niſi *Religionis* vocabulum latiùs extenderit, ſic ut omnem *externi* etiam cultûs apparatum ea voce comprehendat.

Verùm ubi illud mihi affinxeras, quia tibi ſic erat uſus; hujus Eccleſiæ *Ritus* propter hoc tibi rejiciendi & damnandi videntur; † *Etenim*, inquis, *ſi Ritus ejuſmodi (ut aſſeris) Religionis partes evadunt, illos oportet non ſolùm in Scripturis non prohiberi, ſed aliquo Scripturæ loco niti & ſtabiliri.* Mihi certè omnibúſque, puto, quorum animi non ſunt partium ſtudiis occæcati, ſatìs erat viſum *non prohiberi* aliquid ut illud licitè fieri poſſit. Tu verò con-

† Refut. pag. 18.

trà sic : ‖ *Cultûs seu Religionis partem ullam haud in Scripturis mandatam, utì falsam meritò rejicimus, illámque Scripturæ mandatis adjicere, nefas esse statuimus,* Isai. 8. 20. Jer. 7. 31. Deut. 12. 8. *freti scilicet Præcepto illo generali & negativo toties à Scripturis comprobato,* Deut. 4. 2, & 12. ult. 1 King. 12. 33. *Attendite ad Statuta, &c. Nè addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo, ut servetis* Hos. 13. 2. Matth. 15. 9. *Præcepta Jehovæ Dei vestri ; unamquamque rem, quam* Matth. 28. 20. *ego præcipio vobis, eam observantes facite, nè addito ei,* 1 Cor. 11. 13. *neque detrahito ex ea.* Præter hæc, alia quædam à te ad marginem sunt posita ; ea autem vel sunt à re Jer. 19. 5. quam tractamus, alienissima, vel de Idolis rebúsque planè *prohibitis* agunt ; neque scio cur illa hîc adscripseris, nisi quòd à Vestris nonnunquam usurpari soleant. Omitto igitur ista, locum verò hunc, in quo plurimum tibi præsidii paratum putas, ad causam tuam nihil omnino conferre ostendam. Cùm enim hîc à Deo cautum sit, nè quid iis quæ sunt ab ipso præcepta *addere* aut adjicere audeamus ; (de quo solo nunc quæritur) illud sic intelligi debet ut nè quicquam ab hominibus inventum aut institutum ità observandum proponamus, quasi hoc etiam à Deo sancitum fuisset. Namq; ut de Lege Dei is tantùm *detrahere* dicendus est, qui aliquid quod erat scriptum pro non scripto habuerit ; sic ille modò *addere* dicetur, qui illud quod non sit scriptum quasi scriptum esset, pro Lege Divinâ venditaverit. Clarum est autem nihil contra ea præcipi, quæ ordinis & decoris causâ adhibenda erant. Cùm enim nonnul-

la

la eſſent de genere univerſo præcepta; ea ritè peragi non poterant, niſi pleniùs * explicata & definita fuerint; definiri itaque neceſſe erat: at tibi nihil ſine peccato definiri poſſe videtur, quod non ſit à Deo definitum; ſine peccato igitur Dei mandatis obtemperare non poterant. Sed priſci Judæorum ſapientes non ſe hiſce laqueis implicabant; determinabant ipſi, quæ non erant præcisè perſcripta; quædam pro temporum diverſitate leviter inmutabant; ut cùm Agnum Paſchalem non in procinctu ſtantes, ſoleíſque induti, ſed diſcumbentes & diſcalceati comederent; quædam non ſcripta uſurpabant tamen; ut Hymnos Paſchales, aliáque plura. Atque nè tu hos in his quidem graviter peccâſſe dixeris; obſervavit iſta * *Chriſtus* Dominus, quæ fuerant ipſorum moribus recepta. Quem etiam † *Encæniorum* ſolennibus interfuiſſe legimus; quæ erant *Maccabæorum* temporibus, multis poſt *Moſen* ſeculis, inſtituta. Quæ autem obſervavit, ea obſervando comprobavit Dominus. Neque ſanè *Scribas Phariſæóſq;* ideo reprehendebat, quòd ea ſervarent, quæ à majoribus acceperant; ſed quòd *Propter Traditionem ſuam Dei mandatum irritum facerent.* Cùm illi Legem ore traditam, quam dicebant, ei quæ erat ſcripta, non æquarent modò, verùm etiam anteferrent: quâ quidem amentiâ nihil aut ſtultius, aut ſceleratius cogitari poteſt. Sic enim illi Legem Divinam facilè eludebant aut *detrahendo* aliquid, aut *addendo* pro libitu ſuo. At hujus inſaniæ

* Vid. Manaſſ. Ben Iſrael. Concil. in Exod. quæſt. 59.

† Vid. Scalig. de Emendat. Temp. lib. 6.

† Joan. 10. 22.

Matth. 15. 6. Marc. 7. 9.

niæ damnandi non ſunt, qui in ſacris externa quædam certo ordine diſponunt, ut ea commodiùs & decentiùs peragantur. In his ipſe *Chriſtus* eorum quibuſcum vixit, inſtituta ſecutus eſt. Atque hæc Antiqui, Reformati, cæteríque omnes, etiam Veſtri, ab iis qui Eccleſiæ præſunt ordinanda eſſe, conſtanter docent. Neque aliud quicquam eſſe credo, in quo omnes ubique Chriſtriani majori animorum conſenſu ſemper convenerint. Non eſt igitur exiſtimandum eos Dei mandatis aliquid *addere* qui iſta ſic fieri præcipiunt.

Ea verò poteſtas conceſſa cuiquam ſi fuerit, graviſſimum tu indè incommodum conſequi putas; nam * *Per hanc*, inquis, *denique rationem quam Ritibus veſtris obtenditis, eos nempe eſſe licitos, quia diſertè in Scripturis nuſpiam prohibentur, introducitur tanquam per oſtium apertiſſimum totus ferè in Papiſmo cultus externus, quem ex multis obſervantiis ineptiſſimis, nec tamen diſertè in Scriptura prohibitis, conſtare, & conflari novimus, peregrinationibus ſcilicet, aquâ benedictâ, cereis, crucis ſignaculi munitione, Chriſmate, abſtinentiâ à cibis, cinerum aſperſione, unctionibus, & mille hujuſmodi futilitatibns Religioſis. Oſtium* hoc quod tu *apertiſſimum* putas, ſtatim tibi occluſum dabo. Neque enim fieri poteſt, ut per illud unquam *Cultus Papiſticus* huc ad nos introeat: quamvis videam metum hunc * ſubinde tibi in mentem venire. Nam ut eorum nonnulla, quæ invexerunt Pontificii *prohibita* non ſint; aiunt tamen

* Refutat. p. 18.

* Celeuſ. p. 13 Refut. p. 14 & p.

men pleraque à primæva Antiquitate tradita eſſe ; atque his, aliiſq; quæ ſunt poſtmodum conſtituta, omnes neceſſariò obſtringi debere contendunt ; iiſque mirificam quandam Dæmonia fugandi, peccata expiandi, Deúmque adeò ipſum promerendi vim tribuunt. De iſtis autem qui ſic ſentiunt, hominum Conſcientiis laqueos injiciunt, animóſque inani Superſtitione diſcruciant ; quod à Noſtris ſedulò cautum eſt, à quibus externa omnia, remotâ qualicunque ſive neceſſitatis, ſive meriti opinione, ad decorem tantùm ordinémq; referuntur. Quodſi veritus fueris nè per *Oſtium* illud, quod vocas, magna in nos *Cæremoniarum* multitudo irruat, quæ ipſo numero moleſta ſit ; ſerendum eſſet potiùs iſtud incommodum, quàm ut Superiores eâ Poteſtate ſpoliari patiamur, ſine quâ nihil rectè adminiſtrari poteſt. Tu verò hîc nimis quidem ſuſpicax es, *Jenchine* ; non eſt cur id ipſum metuas ; Eccleſia enim Anglicana paucis contenta *Ritibus*, nullum novum tot annis introduxit ; quoſdam etiam, quos primùm uſurpaverat, poſteà ſuâ ſponte detraxit. Nunc itaque te ſine cauſâ meticuloſum fimulas.

Sed non tu homo ſuavis es, qui fidenter affirmas, * *In illo Davenantii loco nihil occurrere Non-Conformium ſententiæ contrarium* ; ubi ille datâ operâ oſtenderat * *Eccleſiam Anglicanam juſtiſſimè obligare ad Cæremonias ; atque eſſe juſtam autoritatem in Eccleſiâ quæ obligat ; honeſtatem in illis Cæremoniis ad quas obligat ; æquitatem in ipſo modo obligationis* ? Non hæc tibi.

* Refutat. pag. 19.

* Davenant. determin. 20.

bi *Non-Conformium ſententiæ* ſatìs *contraria* videntur?
† Refut.ib. Non, inquis, † *Ille etenim hanc ſolam poteſtatem Eccleſiæ concedit, providendi ſcilicet ut omnia in ſacris Cœtibus decenter & ſecundùm ordinem fiant: quiſnam verò Non-Conformium hanc poteſtatem Eccleſiæ denegabit? Quiſnam:* Ipſe tu; tuíque, ſi qui ſint, ſimiles, qui nihil nè in *externo* quidem *Cultu* inſtitui & ordinari permittitis, quod non ſit ſcriptum; cùm ea ad *Ordinem* quæ faciunt, non eſſe niſi generatim à Deo præſcripta, clariſſimum ſit. At parum eſt tibi *Davenantium* nobis eripuiſſe, niſi eum etiam contra nos armaveris. Quid non faciant homines qui ſubtili admodum, lubricóque ſunt ingenio? Quæ ſunt in ipſos nervosè diſputata, miro acumine in Adverſarios convertunt. Tibíque Noſtros hâc arte aggredi placuit: * *Tu quoque*, inquis, *Grovi, inſpice determinationem ipſiſſimam illam vigeſimam quam mihi commendas, ubi te, tuoſque Parkerum nempe, &c. hiſce verbis ſeu virgis caſtigatos ſenties. Quid eſt, inquit, quod Cæremonias impias & illicitas eſſe coarguit? Reſp. Si oſtendatur illas eſſe inſtitutas in Cultum Divinum.* Agnoſco locum; ſed pro more tuo, mutilatum; candidior fuiſſes, ſi cætera quoque recitâſſes: *Ita ut pro operibus juſtitiæ & ſanctitatis Deo & hominibus obtrudantur.* Quod à noſtrorum mente quàm longiſſimè abhorrere, nec tu quidem diffiteri potes. Præter iſta tamen quædam ex alio *Davenantii* ſcripto † adducis, de *rerum externarum obſervationibus quaſi cultûs, aut Religionis partes eſſent*; & de *traditionibus præſcribendis ſub opi-*

* Refut. ibid.

† Ibid.

nione

nione cultûs; quæ à Noſtris minimè probari dictum eſt ſuprà, cùm tu hæc primùm de nobis fingeres. Sed ipſe *Davenantius* hujus Eccleſiæ incolumitati ſatìs proſpexit; prævidit enim fore ut ea fortè, quæ contra Pontificios ſcripſerat, in perverſorum hominum manus inciderent, qui omnia in ſequiorem partem traherent: cùm itaq; Diſputationem illam de Ritibus clauderet, hanc ille cautionem adhibuit: * *Sed hîc illud obiter monere oportet, hæc omnia intelligi de illis ritibus, & cæremoniis quæ obtruduntur ut cultûs divini partes, ut ſanctitatis & juſtitiæ officia neceſſaria, ut ipſius conſcientiæ per ſe obligatoria. Si enim ordinis cauſâ ritus inſtituantur ab illis qui præſunt Eccleſiæ; ut de veſtitu decenti miniſtrorum, de tempore publicorum jejuniorum, aut feſtorum, de tota deniq; diſciplina externa, quæ in ſacris officiis peragendis obſervari debet; hæc non ad ſuperſtitionem pertinent, ſed ad legitimam poteſtatem eorum qui præficiuntur Eccleſiæ, & ad fugiendam ἀταξίαν.* Nihil contra tuorum ſententiam pro nobis evidentiùs dici potuit; ſed tibi ad hæc animum advertere non libebat. Sperabas enim te etiam *Davenantii* authoritate tectum elabi poſſe. At hunc tu Cauſæ tuæ auxilii aliquid attuliſſe ſi exiſtimes, delirus es, *Jenchine*, ſi quenquam tibi poſthàc adverſatum credideris. Soles verò tu eos tibi potiſſimùm patronos deligere, qui contra te acerrimè pugnant. Idem olim in † *Cypriano*, *Auguſtino*, *Sanderſono*, aliiſq; quod nunc in *Davenantio*, paſſus es.

Verùm tu me hinc ad alia vocas. Sequentia

* Daven. in Col. 2. 20.

† Vid. Reſponſ. p. 35, 36, 40. & ſeq. 65. & ſeq.

hæc de scripto quodam desumpta in * *Celeusmate* & † *Parallelis* posueras: *Obedientia quam populus præstat Dominis suis supremis, benedictionem habet comitem, vel cùm jubent circa circumstantias Religionis, quæ planè & è diametro pugnant cum lege Dei.* Eadem ‖ bis in hâc *Refutatione*, recitas; & semel quidem aliquanto quàm antè magis truncata. Hæc autem tu maximè *horrida* cùm putares, & ea tamen quæ de *Paschate secundo* mense celebrando dicta essent, prorsus omitteres; illud modò adjeci: * *Hæc tu si ità posuisses, uti ab ipso scripta erant, alicui fortassis minùs horrida viderentur.* Hîc tu † *Insignem*, inquis, *tuam in legendis scripturis, inscitiam vel oscitantiam detegere non vereris. Iste enim princeps nihil præcepit (uti tu indoctè asseris) legibus divinis oppositum, ubi festum Paschale secundo mense jubebat celebrari.* Quasi ego illud nunquam licuisse dixissem. Licebat sanè, etiam ‖ præceptum erat; sed non nisi certis de causis; ut si *immundi, si in itinere* absuerint longiùs; his utiq; illud permissum est, cæteris non item. Cùm vero *Paschæ* istud ab *Ezechia* indictum esset, nullos tum *Hierosolymis mundos* fuisse planè incredibile est; at si qui fuerint, iis *Festum* hoc Lege Divinâ *primo* mense celebrandum erat, quod tamen illi, mandato Regio obsequentes, in *secundum* distulerunt. Sed esto: nulli fuerint *mundi*. Aderat aliud ab iis observatum, contrà quàm præceptum fuerat; cùm scilicet humano consilio * duplicatus esset dierum *Paschalium* numerus. Sed non est mihi necesse de

his

* Celeus. p. 17.
† Paral. p. 107.
‖ Refut. p. 16. & p. 20.
* Respons. p. 89.
† Refut. pag. 20.
‖ Num. 9, 10.
* 2 Paral. 30. 23.

his tecum ampliùs contendere; tuum olim in aliorum ſcriptis allegandis candorem oſtendiſſe ſuffecerit; nihil tum aliud agebam.

Ab his ad *Longum* tranſis; atq; ex eo nihil affers præter dictum quoddam tibi ſæpius decantatum, in quo ego te ei * injuriam feciſſe monſtraveram. De eo autem quod hîc adjungis de *partibus Religionis*, dictum eſt anteà. Quædam deinde ex *Davenantio* malè conſuta iterum ingeris; quibus cùm pridem † reſpondiſſem, *ineptiſſimè*, ut ais, tu tamen, *Hæc tibi concedo*, inquis; ſed priùs; ‖ *Mitto latinitatem tuam qua palmam elegantiæ Ciceroni te prorſus præripuiſſe nonnullis haud videris.* Quorſum iſta? *Te Palmam præripuiſſe nonnullis haud videris!* Non intelligo. Adſis huc, ô *Priſciane*; metuo certè nè hic homo caput tibi diminuerit. Quas tu nunc res agis, *Jenchine*: Nulla mihi erat cum *Cicerone*, ſed tecum contentio; neq; de *Latini* ſermonis *elegantiâ*, ſed de rebus longè diverſis diſceptavimus. Quid hîc itaq; velis haud certò ſcio; ſed te mea quaſi minùs *Latinè* dicta carpſiſſe ſuſpicor. At iſtam, quæſo, ſeveritatem omitte; liceat nobis inter nos Grammaticorum Rhetorúmq; leges tutò contemnere. *Hanc veniam petimúſq; damúſq; viciſſim.* In his tibi, cùm poſſim, non ſum admodum moleſtus; quamvis tria verba vix unquam ſatìs aptè junxeris. Verùm ſuo quiſq; modo loquatur. Ego meum dicendi genus haud præfractè defenderim; at profectò dedi operam ut eſſet *Celeuſmati* tuo, quoad ejus fieri potuit,

* Reſponſ. P. 99. 94.

† Ib. p. 33.

‖ Refutat. p. 21.

quàm dissimillimum. Et tamen sæpè animadverti te in hoc scripto à quibusdam non abhorrere, quæ à me priùs usurpata fuerant. Plura colligere nihil attinet; aliquando *transilire* pro præterire non omnino inusitatè dixeram; iterum paulò audacius *tranvolare*: Tu utrumq; satis ineptè conjungis; & * *Quæ*, inquis, *Celeusmatis pag. 12. & 13. produxi, Transilit, Tranvoldq; Grovius.* Quid hoc est monstri, *Jenchine*? cur tu me *salire* simul, & *volare* fingis? Quasi verò nihil distarent Corvi à Cicadis. Hoc à te sic incommodè dictum puto, quoniam mea nimium triveras. Authores malos nè frequenter legeris, cave: aliquid enim adhærebit, cùm non sentias. Atq; in iis tu assiduè si versatus fueris, periculum est certè nè omnes tibi *elegantiæ* dispereant, & politula ista, ut nunc tibi videtur, oratio, quasi noxio quodam vapore siderata, subitò defloreſcat. De hoc te moneri ægrè nè tuleris: mihi quidem tecum de *elegantiæ palma* nulla lis erit: eam tibi habeas: ego interea quæ hîc sunt reliqua, pauciſſimis expediam. Aliud enim non affers præter testimonia quædam ex *Davenantio, Augustino & Prudentio*, quæ antehàc in *Celeusmate* adduxeras. Monui autem, neq; tu negas, eos egisse, aut de *rebus fidei*, quæ divinâ tantùm authoritate niti debent; aut de impiis planè & *illicitis*, quæ non sunt facienda, quicquid jusserit Magistratus. At † *Non*, inquis, *permittebant Christianis obedientiam istam absolutam, sed jubebant ut illi dominorum mandata examinarent, & exinde*

* Refut. p. 12.

† Ibid. pag. 22.

inde ut ab obedientia præſtanda mandatis dominorum illicitis abſtinerent. Et optimè quidem præcipiebant; neq; aliter ſentiunt noſtri. Nam quæ de *Obedientia abſoluta, ſuppreſſo Conſcientiæ dictamine* toties repetis, aut ægri capitis, aut hominis maledici commenta ſunt. Ut enim rem omnem breviſſimè complectar; ſi quid publicè præceptum fuerit, de *Licito*, pro ſuo jure judicabunt privati; de *Decoro*, qui externi cultûs ordinandi poteſtatem habent.

Aliquid nunc de *tuo Pacis adipiſcendæ conſilio*, pro inſtituti mei ratione, dicendum eſt. Aiebas igitur * *Jenchinum obfirmato animo credere, non conſenſum in Cæremoniis, ſed harmoniam in fide Chriſti, eſſe verum, firmum, & ſtabile pacis perennis fundamentum, nec unitatem Eccleſiæ per idem vinculum diſciplinæ, ſed per conſenſum in doctrinâ Chriſtianâ obtineri.* Atq; ultrò tibi conceſſi fuiſſe illud † *præcipuum pacis &* concordiæ *vinculum*: Dixi autem te ‖ *Fidem & Diſciplinam, res naturâ ſuâ aptiſſimè cohærentes, temerario auſu divellere.* At * *Ego*, inquis, *non divello, ſed divellit ipſa ſacra ſcriptura.* Illud quidem ſi eviceris, hâc de re tecum ampliùs non pugnabo. Sed nihil affers quo id ipſum quod vis, conficere poſſis; unum modò ex me quæris: † *Ubinam quæſo teſtatur ſacra Pagina, conſenſum in ritibus ab hominibus excogitatis, viam eſſe ad pacem à Deo approbatam?* Illud certè mihi ex innumeris propè locis colligi videtur; iis præſertim ubi diſſenſiones & ‖ *ſchiſmata* prohibentur; ubi propter *Eccleſiarum* * *conſuetu-*

* Celeuſ. p. 36. Refutat. Sect. 8. p. 23.

† Reſponſ. pag. 53.

‖ Ibid.

* Refutat. pag. 22.

† Ibid.

‖ 1 Cor. 1. 10.

* 1 Cor. 11. 16. ‖ 1 Cor. 14. 40. † Heb. 13. 17.

* *consuetudinem* contradicendi æstum extingui debere innuitur; ubi præcipitur ut ‖ *omnia decenter & ordine fiant*, ubi deniq; habentur perspicua de † *Præpositis obediendo* mandata. Quæ enim sine istis aut diuturna *Pax*, aut omninò ulla esse poterit? Tu verò *Pacem* appellas, si quàm plurimis in cœtus alios evocatis, vastitatem in hâc Ecclesiâ atq; solitudinem feceris; si cuilibet, quoties erit libitum, secedere à nobis, Principúmq; jussa contemnere licuerit. Tum demum tibi *concordes* videbimur, cùm nulla fuerit in Sacris *Disciplina*, nullus ordo.

‖ Refutat. Sect. 8. pag. 23. † Ibid. & Celeus. p. 37.

Videris autem tibi idipsum satìs probâsse rationibus quibusdam, quas, quoniam deerant aliæ, hîc nobis iterum obtrudis. Et ‖ *Prima*, inquis, *ratio quâ probavi consensum in ritibus ejusmodi non esse stabile unitatis fundamentum, hæc fuit*: † *Certum est apud Christianos fuisse & fore judicia varia circa observantias illas externas, quæ authoritate sacræ scripturæ destituuntur*: *Unde inter fratres ob sententiarum hæc divortia, ortæ sunt lites & contentiones acerbissimæ.* Demus hoc sanè tibi paulisper: Quid indè conficere vis? Quid, inquis, nisi *Consensum in Ritibus non esse stabile unitatis fundamentum*? At hoc quale sit argumentum, vide: Tu me similiter disputantem non ferres. Fuerunt sæpe de rebus *Fidei Judicia varia*, dimicationes acerrimæ; ergo, si tuo more colligere liceret, *consensus in ipsâ fide* non esset *stabile unitatis Fundamentum*: Quod tu tamen solum & unicum putas. Cujus est hoc vecordiæ id objicere adversario,

adversario, quod possit fortiùs retorqueri in ipsum qui objecerit! Desine, quæso, isto modo disserere, *Jenchine*; Nihil est enim de quo homines turbulenti, partiúmq; studiis inflammati vehementissimè decertare non soleant. Sed olim hâc de re aliâ tecum ratione egeram. Nam cùm * *Tibi videretur fuisse semper in Ecclesia plurimas gravissimásq; de Cæremoniis controversias; te hîc lapsum esse existimavi; pauciss imas enim in omni seculorum memoria hujus generis*, de Ritibus utiq; *quæstiones, eásq; non magnâ animorum contentione agitatas* fuisse credideram. † *Quæ verba*, inquis, *te in Ecclesiastica historia planè hospitem esse, & peregrinum ostendunt.* Atq; ut *ostenderint* profectò: Tu verò, qui in *Historiâ Ecclesiasticâ* sedem ac domicilium habes, quid ex eâ nobis apportas, tanquam de ædibus tuis omni rerum copiâ instructissimis? Haud ità multum certé. Suades modò ut ‖ *Consulam Socratis librum quintum cap.* 21. *& Sozom. l.* 7. *c.* 19. *ubi Christianorum judicia varia occurrunt de tempore Paschatis, &c. imò plurimas reperias inter Christianos, de variis istis judiciis, subortas contentiones acerbissimas.* Te nunc magis etiam quàm antea *lapsum esse* suspicor. Mihi enim manifestum videtur *Socratem, Sozomenúmq;* in iis quos commemoras, locis, nullam de *plurimis contentionibus acerbissimis* mentionem fecisse. Postquam autem *Sabbatium* quendam à *Novatianis*, quorum pars erat, discessisse narraverant, quod Quartodecimanorum sententiam secutus esset; arreptâ hinc occasione, nonnulla de variis Ecclesiarum Ritibus adjungunt; eo maximè consilio ut

* Respons. p. 59, 60.

† Refut. Sect. 8. p. 24.

‖ Ibid.

ut ostendant temere agere eos, qui propter hanc diversitatem Christianorum concordiam turbarent. Nam cùm nulla esset de his certa Lex perscripta, Ecclesiæ singulæ suos, quos à Majoribus acceperant, mores & instituta servabant; aliásq; à se utcunque discrepantes, amicè tamen colebant. Historici itaque illi quorum testimonio te defendi putas, apertè contra te dicunt, non, ut tu ais, *plurimas & acerbissimas*, de eâ Rituum varietate, sed nullas potius *contentiones* fuisse. Unius certè omnino meminerunt, propter quod Ecclesiæ scinderentur; erat autem pervulgatum illud de tempore *Paschatis* celebrandi; quod ipsos etiam de rectâ narrationis serie in istud de Ritibus diverticulum abduxerat. Atque de hoc intelligenda sunt ea quæ tu notas, cùm quidam * *de Diebus festis tanquam de vitâ decertâsse, gravissimúmque bellum excitâsse* dicuntur. At neque de hoc ipso omnes eodem animi ardore pugnabant; plures quidem à se hâc in re dissentientes, fratrum semper in loco habebant. Qui verò diversa sequentes Communione arcendos judicabant, ii morem singuli suum, quasi ab Apostolis traditum, non sine summâ impietate mutari posse arbitrabantur. Atque horum alii † *Joannis* imprimis, alii ‖ *Petri*, *Pauliq*; authoritate sese muniebant. Imò * *Polycrates* hos qui Festum *Paschale* deci-

* Περὶ δὲ ἡμερῶν ἑορτῆς, ὡς περὶ ψυχῆς ἀγωνίζονται. Socrat. lib. 5. c. 22. Περὶ δὲ ἡμερῶν καὶ μηνῶν ἄσπονδον πόλεμον αἱροῦνται. Ibid.

† Euseb. Eccl. Hist. lib. 5. c. 24. Socrat. lib. 5. c. 22. Sozom. lib. 7. c. 19.

‖ Socrat. & Soz. ibid.

* Κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μηδὲν παρεκβαίνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολουθοῦντες. Polycrat. apud Euseb. lib. 5. c. 24.

mâ

mâ quartâ Lunâ obſervârunt, *Evangelium, Fideique regulam ſecutos* ait ; atq; * *oportere* ipſos *Deo magis quàm hominibus obedire.* Contrà, *Victor* Quartodecimanos, *tanquam contraria rectæ fidei ſentientes*, damnabat : de quo te olim † monueram. Atq; ex his nemini dubium eſſe poteſt, quin uterq; controverſiam iſtam ad Fidem ſpectâſſe crediderit. Neq; puto ullum unquam factum eſſe in Eccleſia grave diſſidium, niſi cùm diſſidentes, de re de qua certatum eſt, ſic ſenſerint. Illud mihi certè videtur ; ſi quid fortè ab eo quod res eſt, aberraverim, oro te, qui in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* jamdiu habitâſti, ut *Hoſpitem & Peregrinum* in viam comiter deducas. Quantum verò nunc proſpicere poſſum, arbitror pauciſſimas fuiſſe de *Ritibus contentiones*, ubi ea neceſſitatis opinio abfuerat. Quæ autem memorantur hujus generis certamina, non tam ex *Ritibus*, quàm ex illo contendentium errore nata & profecta ſunt.

* Πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. Id. ibid. † Reſponſ. pag. 60.

Nunc cæteras tuas rationes expendam. * *Secundò*, inquis, *probo conſenſum in externis obſervantiis non poſſe eſſe vinculum unionis*, † *quia iſtiuſmodi conſenſus circa Ritus non poteſt eſſe regula & conditio Communionis Eccleſiaſticæ*, &c. *Etenim id ſolum requiritur ut conditio per quam compotes fiamus Chriſti præſentiæ in Eccleſia, nimirum ſacro Baptiſmo tingi, & fidem adhibere Doctrinæ Chriſti, & obtemperare ipſius præceptis.* His ego, quæ videbantur, reſpondi, ad ea hîc quid tu ? ‖ *Pudet me, profectò, tibi licet Adverſarium, reſponſionis quam huic Argumento attuliſti.* Homo ſcilicet

* Refut. Sect. 8. p. 24.

† Ex Celeuſ. p. 39.

Matt. 28.

‖ Refutat. pag. 24.

scilicet *pudentissimus* mea cùm legeret, propter summam oris mollitiem, totus, credo, rubore suffusus est. Sed nè putaveris tamen te mihi satis respondisse, si fortè, præter omnium spem, tandem aliquando verecundus esse cœperis. Inspiciamus igitur illud, cujus te quidem *pudet*. * Et aliud priùs de aliis dixeram, quod tibi præterire placuit; postremum verò illud † *à te verissimè dictum* fatebar, *sed hoc Nostrorum sententiam non evertere; cùm Christus hoc ipsum de obedientia præceptum frequenter inculcaverit.* Hujus te *Responsionis pudet*, neque forsan sine causâ; me autem ejus nondum *pudet*. At ‖ *Argumenti non attingit sensum, nedum retundit aciem.* Credo equidem: nam quod non est, neq; *attingi*, neq; *retundi* potest. Sed unde tibi novus iste ac nuperus *pudor*? * *Quid enim*, inquis, *Christi præceptum, de obedientia Magistratui exhibendâ, ad conditiones illas per quas compotes fiamus præsentiæ Christi*? Rogas? Ipse tu illud de *obtemperando ipsius præceptis*, in iis *conditionibus* numeraveras. Si verò nos *ipsius præceptis obtemperare* oporteat; tum omnibus; atq; adeò huic etiam, quod nos Magistratuum imperiis parere jubet, cùm eorum jussa cum lege divinâ non pugnant. Quod si tibi præceptum istud excipere licuerit, nihil prohibet quo minus cætera quoq; excipere possis; cùm hujus & reliquorum eadem sit ratio. Sed non est immorandum rei clarissimæ. Post interrogatiunculam istam, cui nunc respondi, verba mea ineptissimè, & ridiculè interpretaris: sed æquum est

* Vid. Respons. pag. 61.

† Ibid.

‖ Refut. p. 25.

* Ibid.

ut

ut tibi ignoſcam; cùm illa quæ nunc pro me comminiſceris, ſimillima ſint iis, quæ contra me ſæpe protuleras.

Tu verò, ut ais, etiam * *Tertiò, exindè probâſti conſenſum in Ritibus non eſſe vinculum unionis, quoniam ſcilicet cum Chriſtiani*, &c. Tum quædam de *Celeuſmate*, meâq; *Reſponſione*, non tamen integra, deſumis. Quibus nihil præterea adjicis, niſi illud: † *Verbis hujus reſponſionis tuæ poſtremis planè aſſentior, ſcilicet* [*non eſt metuendum nè veſtri noſtrorum exemplis inflectantur*] *Etenim facilè concedo non eſſe quod valde metuamus nè veſtrorum exemplis alliciantur noſtri ad Conformitatem in Ritibus, donec plures è veſtris conſpicianus puriores in moribus.* Videris hîc mihi ſignificare Veſtros ſeparatim à nobis cœtus habere, propter majorem *Morum puritatem.* At notiſſimum eſt omnium ferè ſchiſmatum colluviem, hôc maximè fonte derivatam, in Eccleſiæ faciem fluxiſſe. Illud itaq; apertiùs nè dixeris. Certum eſt interea Noſtros à te inſimulari, quaſi eorum plurimi nequiter & flagitioſè viverent. Ego in Veſtros non inquiro; ad Annalium fidem non provoco; quæ ſunt à Tuis noſtrâ memoriâ ſceleratiſſimè geſta non evolvo. Sint illi, ſi vis, probi, mites, pacis fratrúmq; amantiſſimi, omni laudum genere dignißimi; tu tamen qualis es, homo *puriſſime*, cui Noſtrorum *mores* non placent? Amicum, Cauſámq; quam fortè ſecutus eras, prodidiſti; teterrimis Parricidis turpiſſimè aſſentatus es; oppreſſâ Patriâ, ejectis Legibus, occiſo Rege, in tantâ re-

* Ibid.

† Ibid.

rum ſtrage triumphâſti. Nunc quoq; cùm Clementiſſimi Principis beneficio vivas, hujus Regni Statutis obſtrepere, de ſorte tuâ queritari, Noſtrorum famam dictis, ſcriptíſq; mendacibus vulnerare non deſinis. Non ſunt hæc grati animi, non piæ, ſobriæq; mentis indicia. Si qui fuerint è Noſtris quorum *mores* non ſint uſq; adeò probandi, eos tamen, in tantâ hominum multitudine, non ità multos eſſe ſpero; atq; hos ipſos legum ſeveritate coerceri poſſe confido. Illud autem tibi affirmo, *Jenchine*, nôſſe me Noſtrorum plurimos, qui probitate, modeſtiâ, omníſq; vitæ ſanctimoniâ cum Tuorum optimis conferendi ſint; qui verò faſtu, & arrogantiâ, pravâq; obtrectandi libidine tecum comparari poſſit, neminem. Sed mihi injucundum eſt hærere in ſordibus, in quas à te pertractus incidi. Pergamus igitur ad ea quæ ſequuntur : * *Deinde haud fortè metuendum eſt nè veſtris inflectamur exemplis; ſed valdè, mi Grovi, metuendum eſt nè veſtris frangamur equuleis* : Quos tu nobis *eculeos* narras? *Mulctis nempe & carceribus* : Quis unquam ſanus *mulctas & carceres eculeos* dixerit? *Fortiſſimis nempe iſtis veſtrorum argumentis quibus Conformitatem in Ritibus, probatis eſſe licitam.* Alia nobis hujus rei *argumenta*, alias longè rationes eſſe nôſti; quibus quidem tu reſpondere ſi dignatus fueris, ego te omni protinus *eculeorum, mulctarum, carcerúmq;* metu liberabo. At nonjam de Nobis, ſed de ipſis Legibus conquereris, quæ ut tibi duriſſimæ videantur, vos tamen ſatìs indulgenter habiti eſtis.

* Ibid. p. 25, 26.

estis. Te appello, *Jenchine*; tu ad hujus Ecclesiæ incendium faces attulisti; fuisti in hâc à Nostris discessione dux quidam & antesignanus, summâ audaciâ, pari maledicentiâ, temeritate incredibili: neq; tu tamen, quod sciam, in *carcerem* es conjectus, neq; quisquam, puto, tibi homini opulento unam argenti semunciam eripuit. De his autem * aliàs plura. † *Effare verò*, inquis, *Grovi*, *si Apostolus prohibet, aliquem exemplis ad dubias observantias inducere, annon multò magis vetat, aliquem supplicüs ad illas impellere?* Sic tu interrogando omnia conficere vis; sed frustrá: *Apostolus* enim in eo, quo te defendis, loco, de iis agit, de quibus nihildum in Ecclesiâ statutum fuerat, in his verò qui *fratrem offenderit, non jam secundùm charitatem ambulare* dicitur. Quodsi ea præcipere non licuerit, quæ nonnullis *dubia* videantur, nulla erit reliqua superiorum potestas; cùm nihil omninò præcipi queat, de quo infirmi, nè dicam contumaces, *dubitare* non possint. Sed hâc de re sæpe jam dictum est; neq; tu me de eâ ampliùs, sed *Petrum Martyrem* dissentientem audias. Ille inter alia huc spectantia, hæc habet: ‖ *Bonus Princeps respondere poterit; Quæ in verbo Dei habentur, quæq; decentia sunt & ædificant, à vobis requiro. Unde si vestra opinio, seu conscientia reluctatur, id mihi non est ascribendum, qui, nè veritatem ignoretis & miserè pereatis, operam sedulò dedi.* Et pòst: * *Id ab eis* [*Israelitis*] *cùm tam diligenter observaretur, causa nulla est cur à nostris Principibus non fieri debeat, ut videlicet nullum suum civem patiantur,*

* Vid. Responſ. pag. 52, 53.
† Refutat. pag. 26.
Rom. 14. 15.
‖ Pet. Martyr. Loc. Com. Claſ. 2. c. 4. §. 40.
* Ibid. §. 41.

patiantur, vel natum, vel adventitium, quin ipsum ad Sacra & Cæremonias cum verbo Dei consentientes adigant. Atque hîc ea *cum verbo Dei consentire* dicuntur, quæ † *non pugnant*: nè de eo mecum litiges. Hunc igitur cum Nostris sentire clarum est; atque facile esset complures etiam alios adjicere: Cùm manifestissimum sit Religionis & externi cultûs curam ad Principes pertinere, & posse eos de his Leges condere, iisque populum obstringere; quamvis nonnulli de iis quæ sunt sancita, sese *dubitare* dixerint. Sed de *dubiis*, cùm sit satìs antè disputatum, plura non addo.

† Ibid. Sect. 39.

Tu, * *Denique*, inquis, *hanc meam assertionem per Praxin Apostolicam stabilivi.* Quia † *Apostolus disertè pronuntiat, Christianos nullis astringi debere, præterquam quibusdam pro tempore, necessariis.* Cùm quidam Apostolorum temporibus pro Legis necessitate vehementer contenderent; ut illud à præsenti Controversia alienum esse ostenderem, dixi, ‖ *Non id agere Nostros ut Ritus Judaicos, istúmque Cæremoniarum apparatum denuò reducant.* Hoc tu homo cautus & prudens, * *de singulis nostris observantiis haud audes asserere, quas Judaismum olere nonnulli judicant.* Illud haud dubio tu omnium primus odoratus es; mihi enim nemo Tuorum te uno nasutior videtur. ‖ *Sed quid*, inquis, *Grovi, si hoc tibi concederem?* Quid? id modò *concederes*, quod facilè tibi extorqueri poterat. Sed ut *concesseris*, quod negare non eras ausus; tum iterum mihi *Davenantium* opponis: sic enim ille; † *Deus non Cultum Cæremonialem*

* Refutat. pag. 26.
† Ex Celeus. p. 41.
‖ Respons. p. 63.
* Refut. pag. 26.
‖ Ibid.
† Ibid. ex Davenant. in Coloss. c. 2. v. 20.

lem à ſeipſo inſtitutum abrogare voluit, ut cultus novus ab hominibus excogitaretur, quatem, unquis, in veſtris ritibus contineri, agnoſcitis. * Nos verò non *agnoſcimus*; ſed te illud de nobis finxiſſe ſuprà monſtratum eſt. Præterhoc, de quo nunc egimus, alia etiam dixeram; * *Apoſtolos* non tantùm de iis ſtatuiſſe, † *quæ*, ut tu aiebas, *antequam juberentur ab Apoſtolis debebant à fidelibus obſervari*; eorum enim, quæ decreverant, plurima erant naturâ ſuâ indifferentia; cúmq; illi de his quædam præceperint; rectè agunt, qui horum exemplo inducti ſimiliter faciunt. Hæc autem tibi præterire viſum eſt, quia te erroris manifeſtiſſimi arguebant. Sed ut hanc de *Eccleſiæ pace* diſceptationem breviter concludam; Tu eam hâc maximè ratione comparari poſſe exiſtimas, ſi ſoluto communis *Diſciplinæ vinculo*, ſuo cuilibet more ſacra peragere permiſſum fuerit. Atqui pro hâc *Conſcientiæ libertate*, quam vocant, acriter nunc depugnant Veſtri; ut non immeritò de iis dici poſſit, quod apud *Livium* olim dixerat *Appius Claudius*: * *Ea demum vobis libertas eſt, non ſenatum, non magiſtratus, non leges, non mores majorum, non inſtituta patrum, non diſciplinam vereri.* Nos contrà, cum Nos verè liberos eſſe credimus, ſi repreſſâ inquietorum hominum licentiâ, ſuperiorum authoritati pareamus; & *Chriſtianorum concordiam*, non incertis privatorum de rebus mediis opinionibus, ſed obſequio, & legum, Principúmque reverentiâ tutiſſimè contineri putamus.

* Vid. Reſponſ. p. 63, 64.
† Celeuſ. p. 41.
* Liv. lib. 5.

Reliquum

Reliquum eſt ut paucis nunc agamus *de tua in Parallelis colligendis Fide*; quod de quatuor nobis poſtremum erat. Et * *Parallela*, inquis, *ſcriptis ſuis Grovius nec penitus excludere, neq; ullis argumentis potuit illa evertere; haud aſino prorſus abſimilis, qui carduum ori ſuo nec potuit ob aſperitatem excutere, nec tamen illum auſus eſt deglutire.* Sic eſt: Ab *Equis*, quod aiunt, ad *Aſinos*. Tuum hoc tam feſtivè dictum mihi in mentem revocat, quod de altero etiam *Aſino* in fabulis legitur, qui ſe domino delicias facere credens, quaſi blandiens accedit propiùs, atq; in miſerum inſilit, ungulíſq; propè obterit; fit clamor; accurrunt famuli, animálq; urbaniſſimum fuſtibus probè demulcent. Quod tui ſimilibus pulchrè congruit, qui Gratiis omnibus invitis, lepiduli ſcilicet & faceti eſſe volunt. Sed *Aſinos* hoſce dimittamus, redeamus jam ad *Iphicli Boves*. Tu igitur † *Parallelorum pungentium faſciculum* mihi *deglutiendum* dederas? Ego verò ſpinis & ſentibus non veſcor. Mihi itaq; ſatis erat quædam de toto *faſciculo* delibare; ut oſtenderem quantâ tu, in recitandis Noſtrorum ſcriptis, fraude & perfidiâ uſus fueris. ‖ Erant enim ea quæ in hujus rei argumentum adduxeram, aliáq; plura, fœdiſſimè mutilata, inverſa, interpolata, ab Authoris mente quàm longiſſimè detorta. At * *Quis*, inquis, *niſi ſcurra dicaciſſimus falſiſſimis biſce convitiis virum innocentem auſus eſſet onerare. Haſce calumnias Reſponſionis ſupplere vices, ſperat, exoptat. Quibus tamen reſpondeo, me à culpis illis quas impudentiſſimè*

* Refutat. Sect. 9. p. 27.

† Celeuſ. p. 1.

‖ Vid. Reſponſ. pag. 81. & ſeqq.

* Refutat. p. 27, 28.

mihi

mihi impingit, planè esse immunem; & conscientiam meam probitatis meæ in verbis Novatorum recitandis, testimonium perhibere luculentum, méq; in parallelis meis, Novatorum scopum attendisse, & æquâ judicii lance pensitâsse, atq; ità eorum verba allegâsse ut illos mea recitare ex animo expeterem, nullam deniq; me præbuisse ansam, ob quam mihi detruncandi & lacerandi Novatorum verba, crimen objiceret. Si hæc à te verè sint dicta, cur objecta non diluis? cur exemplum aliquod non affers, ut appareat me ista de te calumniandi animo finxisse? Hoc tibi in proclivi esset, sed, *Vir innocens*, non facis. At quî tu, quæso, *Jenchine, Novatorum scopum attendere* potuisti, cùm tibi magnam *Parallelorum* partem suppeditaverit * *Thomas Dansonus*? *Cúmque*, ut ipse fatebaris, *nec animus esset, nec otium supereſſet eruendi ex tot Scriptorum Anglorum impuris lacunis, ea loca quæ tibi amanter suffecit*? Non intelligo quo tu modo eorūm *scopum attendere* possis, quos nunquam legeris. Sed ut gravia ad Centrum, sic tu forsan ad *scopum*, sive vigilans, sive somnians, non ratione & consilio, sed quodam quasi pondere ferri videris. Novi tamen te à *scopo* sæpenumerò aberrâsse: Faciamus periculum in *Bramhallo*; in hujus verbis recitandis insigniter lapsus es, ut † olim monui. Hîc autem tu, famæ, fideíq; tuæ securus, jocularíter, ut soles; ‖ *Nè sævi magnè Sacerdos; furores tuos compescas, obsecro. Cultellum nè arripias*: Ego certè non *arripiam*; sed utinam *arriperent* Medici, venámq; tibi pertunderent; metuo enim profectò ut satìs sanus sis.

* Celeus: in Admonit.

† Responſ. p. 82, 83.

‖ Refutat. p. 28. 82, 83.

Teneris undique, factum negare non potes; & tamen ſuaviter tecum rides: Neſcio quid ſit rei.

* Ibid. Quid? inquis, * *Hæc accuſatio de Bramhalli verbis falſò recitatis, non omninò ad Parallelorum authorem ſpectat.* An ego oculis meis non credam? ſcripta ſunt in ipſa fronte; *Parallelorum* agmen ducunt. Nihil

† Ibid. refert: † *Equidem hunc errorem ex Bramhallo tuo haud deprompſi.* Non? Cur ei igitur aſcripſeras? Ne-

‖ Ibid. ſcis, opinor. Pergis tamen: ‖ *Neq; ego Bramhalli tractatum ubi hicce fortaſſis latet error, vel uſquam vidi, vel an viſurus ſum, haud multum curo.* Conjectabam quidem anteà, nunc autem clariſſimè video quàm tu diligenter ad *ſcopum attenderis.* Sed unde itaq;

* Ibid. illud habueras? * *Ex Hickringlio tuo ſuaviſſimo excerpſi*: & *ſuaviſſimus* ille ex tuo *Marvellio.* Tu verò ſic te defendi poſſe ſperas, *Jenchine? Conſcientiam* tuam ſanctiſſimè conteſtatus, aiebas te *Novatorum ſcopum attendiſſe, & æquâ judicii lance penſitâſſe*; & tum ſtatim fateris allata eſſe quædam de libello quem nunquam *videris.* Sic tu *ſcopum attendere*! ſic *æquâ judicii lance penſitare* ſoles, *Vir innocens?* Hoccine eſt *luculentum illud probitatis tuæ teſtimonium?* Non te pudet falſiſſima hæc tam religiosè dejerâſſe? Noli frontem iſtam diutiùs perfricare. Veniat tandem tibi in vultum rubor ingenuus. Te hæc commentum eſſe fatearis. Roga *Novatores*, roga Lectores tuos ut tibi humaniter ignoſcant. Optimum eſt facti tam deteſtandi patrocinium pœnitentia. Quòd enim aliis temerè credideris, feciſti imprudenter; quòd ea te *penſitâſſe* dixeris,

quæ

quæ non *videris*, ut molliſſimè dicam, malè; ſi verò in manifeſto crimine deprehenſus perſtiteris, impiè atq; ſceleratiſſimè feceris. Sed ego tibi non inſtabo; quid tui hîc ſit officii doceat te ea, quam teſtatus es, *Conſcientia*. De *Parkero*, aliiſq; quorum etiam ſcripta perverteras, quoniam ſiles, plura nunc non addo. Quæ habes de *Tailero* & *Thorndiko* nullius ſunt momenti: te eorum *ſcopum* non *attendiſſe* certum eſt. Quòd autem hæc tua *Refutatio* ad exitum feſtinet, gaudeo: Tu enim, * *Ex dictis*, inquis, *abundè conſtare poteſt, quod tres hoſce tuos ſymmiſtas (ut omittam Viginti Novatores muſteos, quos nè vel unicâ excuſatione auſus es defendere) Celeuſma noſtrum pro meritis caſtigaverit.* Illud ſanè nemini *conſtare* puto; te verò horum quoq; ſcripta corrupiſſe olim † oſtendi, & poſthàc pleniùs docebo. Sed quinam ſunt illi *Viginti Novatores muſtei*, quos ais me *non auſum eſſe vel unicâ exceptione defendere*? Sexdecim erant, aut fortè ſeptendecim, ex quorum ſcriptis *Parallela* tua concinnaveras; ex iis ſex ego nominaveram, quorum verba malâ fide recitaveras; atq; tu ſex iſtos ex eâ ſummâ ſi abſtuleris, *Viginti* reliquos non invenies. Te miror, qui *Paginas* & *Columnas* tam accuratè numeras, in *Novatoribus* dinumerandis tam oſcitanter errare. At ſcias me, quia infinitum erat omnia tua figmenta perſequi, pauca de plurimis ‖ delegiſſe; ut ex iis Lectores de cæteris conjecturam facerent. Tu tamen tibi places; * *Et nullus profectò dubito*, inquis, *quin lectores æqui*, te

* Ibid. pag. 30.

† Reſponſ. pag. 82. & ſeqq.

‖ Vid. Reſponſ. pag. 87.

* Refutat. p. 30.

te non modò, ſodales hoſce tuos deſeruiſſe; ſed & Cauſam tuam, hâc tuâ reſponſione, prodidiſſe judicent. Liberum eſt omnibus de tuis, meíſq; ſcriptis, quod velint, ſentire. At tu certè pleraq; quæ in *Reſponſione* ſcripſeram intacta prorſus reliquiſti; quæq; refellere conatus es, ea argumentis adeò levibus attentâſti, ut mihi non tam mea *refutâſſe*, quàm confirmâſſe videaris. De his autem meliùs alii.

Jámq; eſſet hæc ad finem perducta *Defenſio*, niſi paucula priùs de *Ludovico Molinæo* dicenda reſtarent; quem tu à me * *improbè laceſſitum* putas. Sed quæcunq; de illo Viro dixi, non ſunt dicta quò eum *laceſſerem*; ſed ut ipſum hujus Eccleſiæ hoſtem credulum nimis & acerbum fuiſſe arguerem, alióſq; admonerem nè ei temerè fidem haberent. Hic enim poſtquam in Angliam appulit, in aliena Rep. curioſior eſſe cœpit, quàm deceret Peregrinum. Ubi aliquot apud nos annos egerat, libellis Latinis ficto primùm, deinde ſuo nomine evulgatis, *Hierarchiam* Anglicanam oppugnavit. Cùm verò Rebellium arma Eccleſiæ, Reíq; publicæ ruinam attuliſſent, in *Presbyterianos*, quos dicimus, non minùs acriter quàm olim in *Hierarchicos* invectus eſt. Cúmq; non ità multò pòſt ſereniſſimus *Carolus* incruentam de hoſtibus victoriam reportâſſet, & admirandâ Dei providentiâ ſuis reſtitutus, leges ſacras civiléſq; ſecum reduxiſſet; tum *Presbyterianorum* etiam, & reliquorum à Noſtris diſſidentium patrocinium ſuſcipit, omnémq; iterum in *Hierarchicos* impetum convertit.

† Refutat. pag. 4.

Hos

Hos quibuſdam Latinè, Gallicè, Anglicè ſcriptis frequenter exagitat; eóſq; in Pontificiorum partes propendere cauſatur. Neq; tamen rem certis indiciis firmat; ſed pleraq; quæ aut fama mendax vulgaverat, aut ipſe ſuſpicatus eſt, quaſi comperta narrat. In quibus eum graviſſimè lapſum eſſe ſatis conſtat. Nonnulli enim quos ille Pontificiis plurimum favere dixerat, eorum errores dictis ſcriptíſq; doctiſſimè refutârunt: Alii cùm ob cauſam Regiam exularent, nunquam adduci potuerunt ut ad Romanenſes deficerent; cùm id tum iis futurum fuiſſet, non modò impunitum, ſed etiam tutum maximè & fructuoſum. Ea Noſtrorum conſtantia inanes malevolorum hominum ſuſpiciones facilè elevabat; Hic tamen pergit, ut cœperat; * *Patronus bonæ fidei* ab † *Irenæo Philadelpho* nullâ re niſi ætate diſtat; libellos famoſos adhuc conſcribit; Noſtros ad *Papiſmum* remis veliſq; ferri clamitat, neq; nobis illud, quamvis falſiſſimum, priùs occinere deſinit, quàm homo jam octuagenario haud multò minor, ex gravi morbo decumberet: Tum ſive ab amicis, ſive ipſius rei conſcientiâ admonitus, ſe in Noſtros tam iracundè invectum eſſe dolet; quæ de perſonis parùm honorificè ſcripſerat, deleri cupit; Deum, eóſq; quos læſerat ſibi ut ignoſcerent, rogat; Schedulam quandam in pœnitentiæ non fictæ teſtimonium manu ſuâ ſubſignat; eam, ſi tunc fortè ipſum mori contigerit, edi vult; ſin convaleſceret, nihil ſe poſthàc, prioribus iſtis ſimile,

* Edit. A. D. 1672.
† 1641.

mile, facturum sanctè polliceretur; præsentes sibi ignovisse summo cum gaudio intelligit, idem etiam absentes fecisse lætanter audit. Atq; ità conciliatus omnibus, mutatóq; in melius animo, diem obiit. Neq; tu mireris mihi aliisq; ista olim in eo Viro displicuisse, quæ sunt ab ipso damnata, paucis ante diebus quàm è vitâ migraret. Ego verò & tibi author sim, *Jenchine*, ut hunc tu per omnia sequaris; ut te tandem Nostris maledixisse pigeat; ut, cùm hujus temeritatem imitatus fueris, ejus quoq; pœnitentiam imitari velis.

Refutationem nunc tuam, ut poteram, diligenter excussi; in eâ nihil reperio quod quenquam in tuam sententiam alliciat. Quæ de me exprobrandi causâ narras, falsissima sunt; quæ de *Dubiis* disputas, nullo satis stabili fundamento nituntur; quod ais velle Nostros ut *suppresso Conscientiæ dictamine* Magistratibus pareamus, à te planè confictum est; cùm *Ecclesiæ unitatem* servare vis, *disciplinam* tollis, omnem Sacrorum ordinem perturbas, & pro *pace* effrænatam nobis licentiam inducis; in *Parallelis Conscientiam* tuam inclamas, te ad *Novatorum scopum attendisse* profiteris, cùm multa te à *Danæo* accepisse, nonnulla etiam ex libro, quem nunquam *videris*, desumpsisse fatearis. Sed te tecum sæpiùs quàm cum Adversario pugnare non est novum.

Ad extremum autem libellum hunc tuum dicto, ut tibi videtur, faceto concludis. * *Te denique cum utili hâc monitione tandem dimitto. Scripta tua in posterum*

* Refutat. pag. 30.

poſterum nè pergas exarare, per Calamum hunc obtuſum, quando tibi adeſſe in propinquo novimus, ſcalpellum peracutum. Alludis, puto, ad illud quod tibi narrârunt *Viri duo docti & fideles.* Iis, quæſo, meo nomine ſalutem plurimam dicas; atq; roga, ut pro puerilibus iſtis, & ineptis, maximámq; partem falſis, virilia tua, aut ſua tibi *facinora* referant. Intereà *Monitum* illud tuum alio haud paulò *utiliore* compenſabitur. *Moneo* igitur te, ſuadeóque, *Jenchine*, nè Noſtros ampliùs fictis criminibus oppugnaveris; cùm præſertim ſcias Pontificios huic Eccleſiæ perniciem indefeſſo ſtudio machinari, & ſperare ſe id, quod optant, his, quas occultè fovent, diſſenſionibus conſecuturos. Cave itaq; nè quid iis adjumenti ad hanc rem, quamvis invitus forſan, attuleris. Fac eò quàm primùm redeas, unde nullam ſatìs juſtam diſcedendi cauſam habuiſti. Illis tu Legibus obtemperare diſcas, quæ nihil ſummi Numinis voluntati contrarium præcipiunt. Aut ſi me in his audire nolueris, quòd ſanè metuo; ſi quid tamen poſthàc ſcripſeris, ſi illud nervoſis, validíſq; rationibus confirmaveris, ego tibi libentiſſimè cedam; Si quid emiſeris, quod quidem multum ponderis non habuerit; at ſi abfuerint convitia, erit mihi placida tecum, & amica contentio: Si quid verò argumentis vacuum, contumeliis refertum, hoc eſt, *Refutationi* huic, aut *Celeuſmati* tuo ſimile edideris; aut dormitando, aut ridendo, aut, quod magìs placet, ſilendo reſpondebitur.

FINIS.

Parallela Imparia,

SIVE

SPECIMEN

Fidei Celeuſmaticæ.

Refutat. pag. 27, 28.

Reſpondeo, me à culpis illis quas impudentiſſimè mihi impingit, planè eſſe immunem; & conſcientiam meam probitatis meæ in verbis Novatorum recitandis, teſtimonium perhibere luculentum, &c.

R. C. Gul. Ienckino S.D.

Parallela Iurgia.

SPECIMEN

Filii Celsitudinis.

R. G. Gul. Jenchino S.D.

CUm tu * Epigrammation quoddam ſcripſeris, in quo me rogabas *Errata* tua ut *corrigerem*; ego ſanè, qui nutum iſtum ſemper obſervare ſoleo, id quod petis, perlibenter faciam. Neq; tamen me literularum apices, aut ſi quid Typographorum incuriâ peccatum fuerit, emendaturum putes; in his ipſe tu ſatis jam diligens fuiſti: In Noſtrorum verò ſcriptis recitandis *erratum* eſt à te perquam turpiter; ut † antehàc offendi: Sed cùm tu ad ea quæ notata fuerant, animum non adverteris; collegi nunc pauca de pluribus, eáq; ſic digeſſi, ut quid ſit à te additum, vel detractum, vel quocunq; modo immutatum, ſtatim, quaſi in tabella, perſpicere poſſis. Hæc ut tu *Parallela*, ſed, qualia etiam ſunt, *Imparia* voco. Cave dixeris me in his *Ludere par impar*. Novi enim captum ingenii tui, & prævideo quid reſponſurus fueris; joculum igitur hunc occupare volui, ut maximum tibi ad ſcribendum incitamentum præriperem. Illud autem admodum mihi mirum videtur, quod cùm *Adamſium*, alióſq; quos non nominaveras, tam fideliter tranſcripſeris, ut quivis facilè deprehenderit, unde plurima *egregiè dicta* deſumpſeris; in *Novatorum* verbis tam nequiter *erraveris*, ut Authores ipſi ſua, quæ vocas, non agnoſcant. Sic te feciſſe ex iis quæ huic Epiſtolæ adjuncta ſunt, intelliges. Plura ſi deſideres, non deſunt; ſed hæc,

* Ad Grovium. *Errores veſtros, Erratáq; corrige noſtra.* Refutat. in fine.

† Reſponſ. pag. 82. & ſeqq.

quæ nunc damus, homini minimè avaro ſatis multa eſſe credo. Quod ſignificas te eorum *ſcopum attendiſſe*, quos non legeris; inventum eſt mehercule tuo acumine digniſſimum: nihil unquam ſubtiliùs excogitatum eſt: etiam atq; etiam rogo ut illud mecum communices. Nihil mihi gratius facere potes; ad *ſcopum* enim tuum, ſi quem habueris, aveo *attendere*, & ſimul tua legendi tædio levari cupio. Utinam igitur oſtenderis quî alterum ſine altero conſequi poſſim. Si quid reſcripſeris, cura ſedulò ut ſit illud convitiis omnibus, maledictiſq; ornatiſſimum: Nam præter iſtas orationis tuæ delicias, vix eſt aliud à te ſcriptum quod quidem notatu dignum ſit. Me præterea ſummâ voluptate afficeris; ego enim ſic ſum factus ut tuâ maledicentiâ maximè gaudeam. Atq; hinc *Celeuſmate* & *Refutatione* iſtâ mirum in modum captus ſum; certè puerulus olim funambulis & circulatoribus minùs delectabar. Mihi itaq; gratificari ſi vis, perge, precor, ut cœpiſti. Intereà tibi moleſtum nè ſit, quòd *Errata* quædam tua notaverim; cùm illud rogatu tuo fecerim. Vale & fruere.

Parallela

Parallela Imparia,

SIVE

SPECIMEN, &c.

Author.

1. QUod de populo à Scripturis arcendo ait [Baxterus], pulchrè evaserit, si *eorum* [Romanensium] *nullus hoc ei exprobraverit*; promiscuam licentiam omni hominum generi datam, peritis, imperitísve, non tantùm legendi, sed & *interpretandi* Scripturas, *secundùm privatum eorum spiritum, aut particulares imaginationes, nullâ habitâ ratione aut analogiæ fidei, quam non intelligunt*, aut *interpretationis Doctorum antiquorum*, esse incom-

Celeusma.

1. PRomiscua licentia omnibus indulta legendi Scripturas, gravius est & pernitiosius crimen, quàm illud Romanensium, quo lectionem Scripturarum rigidè nobis interdicunt. *pag.* 49.

modius,

Author. *Calumnia.*

modius, meliùs dicerem pernicioſius, & particularibus Chriſtianis, & totis Societatibus, quàm eſt *nimis* rigida Romanenſium cohibitio. *Bramhall. Vind. cont. Baxter.* p. 116.

2. *In caſibus & controverſiis ad publicum ſpectantibus*, privati non ſunt ſui juris, nec actionum ſuarum domini, nec duci debent à proprio judicio, ſed ab imperatis publicæ conſcientiæ. Mihi [ſubdito] hoc ſolummodo incumbit officii obedire. *Eccl. Pol. pag.* 308.

3. *In iis de quibus jam diſſerui*, tutius eſt haud dubiò cum dominis noſtris errare, quam contra ipſos rectè ſentire. *Long. in Examin. Hales de Schiſm. p.* 140.

2. Homines privatæ ſortis non ſunt ſui juris, nec actionum ſuarum domini, nec duci debent à proprio judicio, ſed ab imperatis publicæ conſcientiæ. Subditis hoc ſolummodo incumbit officii, (*non examinare mandata, ſed*) obedire. *p.* 16.

3. Tutius eſt errare, *hoc eſt, peccare* cum dominis noſtris, quàm rectè ſentire, *ſive recta ſectari* contra eos. *p.* 14.

Tutius eſt *peccare* cum Dominis, quàm *recta ſectari* contra eos. *p.* 15. & 19.

4. *Unde*

Author.

4. *Unde conſtat* Inferiores ſuperiorum judicium ſequi debere, *in rebus quæ ſuperiorum poteſtati ſubjiciuntur*, conſcientiarum ſuarum ſcrupulis in contrarium non obſtantibus. *Thornd. pond. & menſ. pag.* 130.

5. *Cùm Deus ſuam erga omnes homines benignitatem profitetur, atq; ait, imò jurat ſe nolle mortem ipſorum Peccatorum, ſed malle ut ab impietate ſuâ convertantur, & vivant; tamen ſecundùm has doctrinas*, hæc eſt declaratio tantùm ejus Voluntatis ſigni; quod Anglicè loquentibus nihil aliud ſonat, quàm ipſum quaſi vultu ſimulare. *Collat. inter* 2. *intim. amic.* pag. 202.

6. Si Chriſtus nunquam apparuiſſet in mundo, ratio tamen eſ-

Celeuſma.

4. Qui ſummis poteſtatibus ſubſunt, ſe debent ſuperiorum judicio ſubmittere, licèt conſcientia *dubia* & ſcrupulis anxia contrarium *dictitet.* p. 107.

5. Verus intellectus voluntatis Deo aſcriptæ, quæ dicitur ſigni, hic eſt quòd innuat Deum ſimulatè volentem & ſpecie duntaxat. *p.* 52.

6. Licèt præſupponeretur quòd Chriſtus nunquam apparuiſſet

ſet

Author.

Celeusma.

set cur crederemus Deum sic *sapientem*, bonum, *sanctum*, misericordem; *quia non tantùm opera Naturæ & Providentiæ, sed etiam verbum Dei nos certiores facit ipsum talem esse*: Apparitio Christi *non primùm* nobis ostendit naturam Dei, sed solùm nobis dedit *majus divinæ bonitatis indicium quàm unquam antè habueramus*: firmat in nobis fidem earum rerum, quas antè à natura & *Revelatione* didiceramus; *eodem planè modo quo Resurrectio ejus, quæ est alterius vitæ ocularis demonstratio, firmat nos in fide beatæ illius immortalitatis, quam promiserat.* Sherlock de cogn. Christi. *p.* 43.

mundo, attamen non ibi re crederemus, Deum usq; adeò bonum esse & misericordem, & *propenso esse naturaliter animo & benevolo, ad bonis benè faciendum, & pro certo remunerandum opera eorum.* Neq; enim per patefactionem Christi nobis factam, palàm facta est natura Dei, sed duntaxat Deus nos firmavit in fide eorum de quibus edocti eramus à natura. pag. 62.

7. *Ut Apostolus arguit*, Rom. 3. 29. *An Judæorum Deus solum? annon &*

7. Deus habuit *eandem respectum* ad Gentiles perinde ante, ac post

Gen-

Author.

Gentium? certè & Gentium. Quod quidem argumentum, si quam vim habuerit, probet necesse est Deum *respexisse* Gentiles ante prædicationem Evangelii, ut etiam pòst; quia fundatum est [*illud argumentum*] in ea naturali relatione erga totum genus humanum, quam Deus agnoscit, quatenus est eorum misericors Creator, & Gubernator; *quæ Gentilibus, ut & Judæis partem tribuit in illius curâ & providentiâ.* Ibid. pag. 27.

8. Et Judæi & Gentiles (qui prorsus ignorabant quid Christus facturus esset in ordine ad restitutionem nostram) credebant Deum fuisse gratiosum & misericordem erga peccatores, *& erat ratio cur sic crederent,*

Celeusma.

prædicationem Evangelii, quia *iste respectus* fundatur in naturali relatione, per quam Deus affectus est tanquam misericors creator & conservator erga hominum genus. *pag.* 63.

8. *Omninò statuendum est* non solùm Judæos sed & Ethnicos qui prorsus ignorabant quid Christus facturus esset circa restitutionem nostram, credidisse Deum gratiâ plenum esse & misericordiâ erga pec-

 quia

Author.

quia ipse Deus Judæis certos fecerat se fuisse Deum misericordem, & gratiosum, condonantem iniquitatem, & defectionem, & peccatum. Atq; illæ notiones naturales quas Ethnici de Deo habuerunt, atq; illæ patefactiones sui quas Deus fecerat in operibus creationis, & providentiæ, ipsos certos reddebant Deum fuisse valdè bonum; neq; intelligi potest quid sit bonitas absque gratiâ condonante. *Sherlock de Cogn. Christ. pag.* 44.

9. *Novi non esse aliquod sub cœlo nomen per quod homines servari possint, præter solum nomen Jesu Christi; sed* nullibi edoctus sum eos qui de ipso nunquam quicquam audiverunt, non posse per

Celeusma.

catores, atq; per notiones naturales de Deo, & de patefactione sui in operibus creationis & providentiæ, certo persuasos fuisse, Deum revera bonum esse, & jam sub intelligentiam cadere non potest natura bonitatis, absq; misericordi & condonante gratiâ. *pag.* 63, 64.

9. Nullibi lego quòd qui de Christo nihil quicquam nec unquam inaudiverunt, salvari nequeant per eum absq; fide in eum, hoc si verum est, quid fit de omnibus illis, si unum vel ipsum

Author.

ipſum ſervari, ſine fide in ipſum. Hoc ità ſi ſit, *quid fit de miſellis infantibus?* immò de iis omnibus, Prophetam unum vel alterum ſi exceperis, qui ante Servatoris noſtri adventum vixerunt? *Collat. inter duos intim. amic.* pag. 251.

10. *Libros Apocryphos dictos non eſſe ſcripta Prophetarum divinitùs afflatorum, convenit inter nos.* --- Oportet nos eorum uſui inſiſtere ad ædificationem Eccleſiæ, *ad meliùs intelligendum mores & bona opera Chriſtianorum; quæ ſunt valdè depreſſa ab iis*, qui vellent hiſce Libris ſilentium indicere. Sed cùm tota Eccleſia iis ſemper uſa fuerit; eos nunc ſeponere, non eſſet Eccleſiam reſtituere, ſed novam ædificare.

Celeuſma.

alterum Prophetam excipis, qui ante Chriſti adventum vixerunt? *p.* 64, 65.

10. Ad ædificationem Eccleſiæ, inſtare debemus lectioni Scriptorum Apocryphorum, *quibus abutuntur* illi qui iſtis ſilentium indicunt. Verùm cùm tota Eccleſia eorum ſemper uſum habuerit, cenſendum eſt quòd molimen ſeponendi illos libros non ſit eorum qui Eccleſiam in integrum reſtituunt, ſed illorum qui novam ædificant. *p.* 51.

Author.

care. *Thorndik. Pond. & Menſur.* pag. 100.

11. Hoc eſt quod *quæritur*, an oporteat nos juſtos fieri perfectâ Chriſti juſtitiâ nobis imputatâ; *an velit Deus Chriſti gratiâ diſpenſare cum rigore legis, atq; acceptare ſinceram & Evangelicam obedientiam, loco perfectæ & non peccantis Juſtitiæ.* Sherlock de Cogn. Chriſt. *pag.* 315.

12. Putâram me eorum hominum *multos* tam bene nôſſe, verſatum eſſe cum iis tam familiariter, eorum animos perſpexiſſe, libróſq; tam multùm lectitâſſe, quàm eorum *aliqui* qui altiſſimos in ipſos clamores tollunt; atq; hîc mihi toti mundo profitendum eſt, me neq; in aliquo ſermone ex eo-

Celeuſma.

11. *Diſertè negat* Sherlock (*pag.* 315.) nos poſſe fieri juſtos per imputationem Chriſti juſtitiæ. p. 86.

12. Exiſtimabam me perinde veniſſe in familiarem notitiam illorum hominum, penetrâſſe in eorum mentem, evolviſſe libros, ac *quemquam* de illis qui acriùs in eos debacchantur; attamen coram omnibus profiteri haud vereor, *nihil excidiſſe* ex quoquam eorum vel *ſcripto* vel *ſermone* quod probè & fa-

rum

Author.

rum aliquo *audîſſe*, aut publicè aut privatim, neque me in eorum Scriptis aliquid *obſervâſſe*, quod non potuerit admodum facilè conciliari cum Articulis Religionis Eccleſiæ Anglicanæ. *Vindic. Cler. conform.* pag. 6, 7.

Celeuſma.

cilè conciliari nequeat cum Articulis fidei Eccleſiæ Anglicanæ. *p.* 46.

Habes hîc paucula fidei, candoríſq; tui teſtimonia, *Jenchine*; multò plura, ſi opus eſſet, facilè adjicerem. Mihi enim nondum liquet an unquam eorum mentem aſſecutus fueris, ex quorum Scriptis *Parallela* tua compaginaveras. Illud certè compertiſſimum habeo, te in quamplurimis ipſorum *ſcopum* non attigiſſe; an verò ſemper ignorantiâ, an fraude quandoq; & malitiâ *erraveris*, haud ſatìs certò ſcio. Quicquid fuerit; quoniam te in verbis *Novatorum*, quos vocas, vertendis ſæpiſſimè lapſum eſſe conſtat; æquum eſt ut hujus ſive erroris, ſive flagitii veniam petas. Quod & facies profectò, niſi omnis tibi perierit pudor; ex his enim, quæ ſuprà poſui, aliíſq; quæ mihi notata ſunt, te Noſtrorum Scripta pro libitu ferè tuo immutâſſe manifeſtum eſt. Effice igitur ut

omnes

omnes te hujus injuriæ pœnituiſſe intelligant; *Parallelis* iſtis mendaciſſimis ultricem ſpongiam, quantum potes, ocyſſimè inducas; fac ut quamprimùm deleatur illud fraudis tuæ monumentum. Mihi, boníſq; omnibus gratiſſimum feceris, ſi rectè monenti parueris. Iterum atque iterum Vale.

FINIS.

Books Printed for *Walt. Kettilby*, at the *Biſhop's Head* in St *Pauls Church-Yard.*

DOctor *Grove's* Vindication of the Conforming Clergy. *Quarto.*

-----Defence of the Church and Clergy of *England.* Quarto.

-----*Reſponſio ad Celeuſma, &c.* Quarto.

Henrici Mori Opera Theologica & Philoſophica, Fol. Three Volumes.

Sydenhami Obſervationes de Morbis acutis. Octavo.

——*Epiſtolæ Duæ de Morbis Epidemicis, & de Lue Venerea.* Octavo.

Sydenhami Diſſertatio Epiſtolaris.

Loſſi Obſervationes Medicæ. Octavo.

Mayou Tractatus 5. E. Med. de Sal. nitro, &c. Oct.

Burnetii Telluris Theoria Sacra de Diluvio & Paradiſo. Quarto.